



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**

A Tempore Resvscitarvm In Occidente Litterarvm Ad Nostra Tempora

Brucker, Johann Jakob

Lipsiae, 1744

Capvt Secvndvm. De Iordano Brvno Nolano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28327

gerunt, et immortale inde nomen consecuti sunt, accurate enarrabimus, vitaeque atque philosophandi rationes ab iis adhibitas explicabimus; tum per singulas disciplinas philosophicas eundo, quid magnorum virorum diligentia in iis singulare nouumque praestiterit, pro instituti modo explanabimus. Cuncta enim referre, esset singularum disciplinarum philosophicarum peculiarem condere historiam, id quod et scopo nostro aduersatur, et res infiniti fere laboris est. Indicabimus tamen fontes, ex quibus curioso Lectori plura haurire copiose liceat.

CAPVT SECVNDVM.

DE IORDANO BRVNO NOLANO.

§. I.

*Scriptores de
Iordano Bruno.*

Primus, quantum quidem nobis constat, qui totum philosophiae circulum mutare, et philosophiam dare nouam eamque abstrusissimam ausus est, fuit IORDANVS BRVNVS, a patria NOLANVS dictus. Cuius viri tanta est in historia ciuitatis eruditae recentiori celebritas, vt pauci, qui acta literaria seculi XVI, vel per transennam inspexerunt, censendi sint, qui eum et opinionum *παράδοξων* nouitate et tragico vitae exitu famosum ignorent. Miramur itaque deesse hodiernum accuratam, quam tamen res eius valde memorabiles omnino merentur, huius viri historiam, et quaecumque de eo scripta sunt, sunt autem illa plurima, scopas magis dissolutas esse, quam criticam tractationem, multa erroribus infecta, pleraque manca et imperfecta esse. Cuius potissima nobis causa videtur esse insignis raritas librorum Bruni, qui adeo disparuere, vt non nisi in instructissimis bibliothecis inueniantur, nullibi autem pene omnes deprehendantur, sed dispersi passim lateant, vnde difficillimum est, consultis omnibus eius viri res atque placita enarrare. Accedit vita hominis vaga, defultoria et incerta, qua factum, vt de rebus eius parum innotuerit, et pleraque coniecturis magis detegi, quam certis testimoniis disci possint. Exorandus itaque nobis Lector est, vt si nostra quoque non fecerit satis tractatio, qui praeter excerpta a viris doctis ex Bruni liberis facta, non nisi vnicuique Bruni libro philosophico *de Minimo*, iisque quos de arte Lullistica scripsit, vt potuimus, non negligentiam accuset nostram, sed memoriarum de hoc viro inopiam. Consulemus autem, quotquot nobis feliciores vel eius libros passim inspexerunt, vel de rebus eius narrationem aliquam dederunt, et adhibito iudicio, quid secundum leges fidei historicae statuendum sit, candide exponemus, nostramque modeste explicabimus sententiam. Et inter illos quidem, qui de vitae eius circumstantiis quaedam tradiderunt, primo loco collocandus est

est GASPAR SCIOPPIUS: is enim postridie mortis tragicae, quam passus est Brunus, epistolam de eo scripsit ad Conradum Rittershusium, quae addita libro rarissimo pseudonymo, in Germania sine mentione loci et anno excuso hoc titulo: *Machiauellizatio, qua vnitorum animos dissociare nitentibus respondetur, in gratiam domini archiepiscopi castissimae vitae, Petri Pazman, succincte excerpta, SaragoSSae per Didacum Ibarram* clō Iō CXXI. 4. Ex eo epistolam Scioppii repetiuerunt, BVRC. GOTTH. STRVVIVS ^a IO. TOLANDVS ^b et MATVRINVS VEISS. LA CROZE ^c. Et ad hanc quidem epistolam velut fide dignam prouocant, quotquot Brunum inter atheos numerant, et iusto eum supplicio ob horrenda dogmata sublatum contendunt. Se enim supplicii de eo summi testem ἀυτόπτην esse, et sententiam ab officio S. inquisitionis latam et praelectam Bruno suis auribus audiuisse testatur Scioppius, et rationes affert, quibus probet, non ob deserta castra Romanensis coetus, sed ob atheismi impietatem flammis eum vlticibus deletum esse. Fatemur autem hoc non obstante, valde sublestam nobis videri fidem famosi grammatici. Cuius animum, vt solent apostatae ofores esse ordinis, quem reliquerunt acerrimi, truculentum et sanguinem protestantium indignissimo modo sitientem nemo ignorat, qui vel *Classicum eius sacrum* legit, vel de eo fando aliquid audiuit: qui tanto furore percitus fuit, vt cum eam epistolam ad Conradum Rittershusium Lutheranum scriberet, non neget, et si Lutherani non comburantur Romae, aliam tamen rationem Romanos de Luthero inuituros fuisse, si eum tenuissent. Eum itaque ex animi sui sententia hoc hominis ex Romanensium castris ad Lutheranos transfugae supplicium probauisse, non est, quod magnopere dubitemus. At utebatur tamen amicis multis inter horum coetuum affectas Scioppius, et imprimis Rittershusio hospiti olim et praeceptori plurimum debebat: cum autem probe videret, faeuitiam Romanam magna partes eas, ad quas secesserat, inuidia cumulaturam, hac potissimum epistola eam declinare, persuadereque amicis Lutheranis voluit, non velut Lutheranum, sed tanquam atheum Brunum atrocissimo mortis genere e viuis esse sublatum. Nec id prorsus celare Scioppius vel ita caute de supplicio Bruni scribere potuit, vt non aliquoties proderet, atheismum Bruni πρόφασιν tantum fuisse, vt inuisus ordinis apostata extingueretur. Fatetur enim diserte, *nullum prorsus Lutheranum aut Calvinianum, nisi RELAPSVM aut publice scandalosum vllō modo Romae periclitari, nedum vt morte puniatur.* Quibus verbis Lutheranis quidem tutam apud Romanos fidem esse asserit, idque in sequentibus exemplis quoque corroborat, at relapsos vitae manere pericula, diserte tradit; sunt autem relapsi Scioppio apostatae si non omnes, certe ordinis, qui vocantur.

B 3

Sciop.

a) T. V. Añ. Literar.

b) loc. citando

c) Entretiens sur divers sujets d'histoire p. 287.

Praeuert his, qui primus eius epistolae mentionem

fecit Io. HENR. VRSINVS de Zoroastre p. 5. ex quo sua hausit NICODEMVS, Addit. ad Biblioth. Neapol. p. 90.

Scioppius, Brunum ex Dominicanorum ordine ad protestantes transfugam periclitari de vita debuisse? Nec inficiari potest in hac epistola Scioppius, si Rittershusius tunc Romae fuisset, ex plerisque omnibus Italis auditurum fuisse, Lutheranum esse combustum, et ita non medicriter de saeuitia eorum in opinione sua confirmari debuisse. Quae frigide quidem ita excusat, vt dicat: Italos suos inter haereticos alba linea non signare, neque discernere nouisse, sed quicquid est haereticum, illud Lutheranum esse putare; hoc vero pacto omnes Italos testes contra se adducit, eos quoque, qui cum Scioppio sententiam officii praelectam audiuerunt, et facile intelligere potuissent, ob impia et Christiano nomine indigna dogmata e medio sublata fuisse Scioppium, nisi conuicti fuissent, Lutheranum nomen rogum illi accendisse, et conquisita esse illa παράδοξα, vt inuidia illa factio premeretur. Ipse sane Scioppius, canina dicitate, qua famam laudemque omnem literarum gloria partam apud viros bonos dudum decoxit, luculenter prodidit, se eundem, cum officio S. inquisitionis animum seruare, et hunc morem sequi, vt qui tantopere a placitis Romanae ecclesiae dissident, horrendorum dogmatum accusati ferri rogo digni habeantur. Scribit enim mendaci calamo et indigna viro docto ratione: *De ipso vestro Luthero aliam forte rationem iniremus. Quid enim dices, si asseram et probare tibi possim, Lutherum non eadem quidem, quae Brunus, sed vel absurdiora magisque horrenda, non dico in conuiuialibus, sed in iis, quos viuus edidit libris, tanquam sententias, dogmata et oracula docuisse? Mone quaeſo si nondum satis nouisti eum, qui veritatem tot saeculis sepultam nobis eruit, et faciam ipsa tibi loca in quibus succum quinti istius euangelii deprehendas, quamuis istic anatomiam Lutberi a Pistorio habere possitis. Nunc si et Lutherus Brunus est, quid de eo fieri debere censes, nimirum tardipedi Deo dandum infelicibus vstulandum lignis: QUID ILLIS POSTEA, QVI EVM, PRO EVANGELISTA, PROPHETA, TERTIO ELIA HABENT? HOC TIBI COGITANDVM RELINQVO: Tantum vt hoc tibi credas, Romanos non ea seueritate erga haereticos experiri, qua creduntur, et qua debebant forte erga illos, qui scientes, volentes pereunt.* Non mouebimus litem impudentissimo calumniatori de atroci mendacio, quod viros doctos candidosque hodie in hac ipsa ecclesiae communiione detestari nouimus, indigna enim sunt, quae refutentur; sed id modo vrgemus, satis prodidisse Scioppium, se atque Romanos ignem minitatos esse et Luthero et illis, qui eum pro euangelista, id est, doctore vero habent. Frustra itaque gentilia βδέλυματα et dogmata nefanda inter Christianos non audita praetendit Scioppius, et excusatione sua parum fidei inuenit, cum plurimis exemplis constet, quanto rigore in eos olim saeuierit Italia et Hispania, qui discessum in religione fecerunt, maxime vero in eos, qui sacros ordines deseruerunt. Parum itaque fidei ob dictas causas Scioppii testimonium ad veram Brunihistoriam

floriam describendam affert, licet circumstantias eius vitae potiores enumeret, quas non omnes cum veritate conspirare infra faciemus manifestum. Post Sciopium diu de Bruno silentium in orbe literario obtinuit, sine dubio, quod libri eius vel ob obscuritatem neglecti, vel ob sententiarum nouitatem contempti, vel ob mortis genus suspecti facti sunt. Recentiori autem aetate famosissimus, qui Bruno tribuitur libellus *de Bestia triumphante*, quem anxie quaesitum curiositas fecit albis coruis rariorem occasionem suppeditauit de Bruno eiusque vita atque placitis paulo accuratius dispiciendi. Nempe et PETRVS BAYLE^d de Bruno, non quidem omnia, multa tamen valde memorabilia attulit, quae infelicis philosophi historiae plurimam lucem commodant, et IOANNES TOLANDVS^e, *de genere, loco et tempore mortis eius* nonnulla differuit, et δ πάλυ LA CROSIUS^f, de eo doctissime commentatus est; cum eo autem de Bruni placitis et impietate amice eruditeque disputauit Cel. HEVMANNVS^g. Clarissimus NICERONIVS^h quoque vitam eius enarrauit. Nemo tamen horum biographiam Bruni integram condere aggressus est; multa tamen egregie tetigit, quem honoris et amicitiae causa nominamus illustris CAROLVS STEPHANVS IORDANVSⁱ. Quaedam etiam Baelianae narrationi adiecit Anglos, qui *Dictionarii critici auctarium* ediderunt^k, ex nouis literariis intelligimus. Itaque iusta et integra Bruni historia haecenus desideratur, quam post tantos viros dare, a nostra paupertate alienum est. Afferemus tamen symbolam nostram, et Lectorem tantum, quantum nobis licebit, ea docebimus, quae, qualis ille vir fuerit, quae fata habuerit, quibusque potissimum placitis innouare philosophiam aggressus sit, si non plene, accurate tamen exponere apta sunt. Optamus autem, vt hanc philosophicae historiae particulam vir quidam doctus, omnibusque Bruni libris instructus aliquando perfectam nobis sistat atque suis numeris absolutam.

§. II. Patria Nolanum ex regno Neapolitano fuisse Iordanum Brunum, Scioppus, et post eum reliqui tradunt omnes, ipse in *Acrotismi* inscriptione *Nolanum Comoeracensem* se vocat. Parentes eius et natalem ignoramus^l. In adolescentia bonis literis excultum fuisse, scripta eius nos dubitare non sinunt, in quibus veteris philosophiae notitia, et mathematicarum disciplinarum peritia vtramque faciunt paginam. Huic eruditioni accedebat memoriae vis maxima, ingenium autem magnum et imaginationis virtus non modo summa, sed foecunditate quoque imagi-

Bruni vita in Italia et Gallia.

d) Dict. T. I. art. Brunus p. 679. seqq.

e) Opusc. posthum. Tom. I.

f) loc. cit.

g) Act. phil. Vol. III. p. 424. add. Vol. I. p. 514. seqq. Vol. II. p. 380. 381. seqq.

h) T. XVII. Memor. ad Hist. Liter. vir. illustr. spectant. p. 200. sqq.

i) In Disquisitione Hist. Lit. de Iordano Bruno Nolano.

k) p. 26. nos nihil eius vidimus.

l) Colligimus autem ex Oratione valedictoria Wittebergenf. §. 16. ortu fuisse nobilem. Conqueritur etiam, eorum, qui ipsi honorem et obsequium debebant, conuicia et calumnias se pertulisse, feruoriorum murmura audiuiffe etc. ex quibus conicimus, aut aluisse eum familiam, antequam monasterium ingrederetur, aut quendam inter suos magistratum sacrum in monasterio gessisse.

num ita grauida, vt extra se tantum non raperetur, qualia ἐν θουσιασμοῦ exempla passim in exordiis librorum eius deprehenduntur. His auxiliis fretus ad scientiarum philosophicarum et theologiarum disciplinam se contulit, et vt commodius literis sacris pariter atque elegantioribus vacare posset, secessum monasterii ambiit, familiaeque Dominici nomen adscripsit ^m. Ibi dubium non est, quin et philosophiae atque mathesi, et sanctioribus scientiis se dederit, has enim possessiones fundo suo eum acquisiuisse, relicto claustro mature ⁿ demonstrauit. Parum tamen temporis Graecae linguae studio accuratori tribuisse, scripta eius passim produnt, in quibus, quae Graecae sunt originis, saepenumero perperam scripta sunt. Cum autem animo excelfo, imperterrito et errorum contemptore vteretur, ad examinanda theologiae et philosophiae decreta recepta delatus, multa inuenit, quae displicerent. Accessit vita hominum saeculorum, inter quos viuebat, dissoluta et offendiculo plena, quam cum liberiori ore carperet, dici non potest, quantas hac re tragoedias sibi excitauerit. Habemus vtriusque rei, et reprehensae suorum doctrinae atque vitae, et factorum, quae ex ea passus est, acerbissimorum testimonia ab ipso profecta. In *Oratione consolatoria* enim, quam in fine exequiarum, *Iulii ducis Brunsvicensium* habuit ^o, ita inter alia de hoc statu et conditione sua in patria pronuntiat: *In mentem ergo, in mentem Itale, reuocato, te a tua patria honestis tuis rationibus atque studiis pro veritate exulem, hic ciuem; ibi gulae et voracitati lupi Romani expositum, hic liberum; ibi superstitioso insanissimoque cultui adstrictum, hic ad reformatiores ritus adhortatum.* Et alio loco ^p extremam barbariem et auaritiam fordidissimam suorum acerbe accusat. Paulo clarius de his eius iudiciis et improbata suorum doctrina differit Scioppius, tradens, eum *de transsubstantiatione dubitare, immo eam prorsus negare, et statim virginitatem B. Mariae in dubium vocare coepisse*, non addit tamen, vtrum posterius ante vel post partum Θεωτόκον negauerit. Et prius quidem facile concesserimus in homine, dogma huius generis non concoquente, quod a philosophia omni tantopere abhorret: impie autem et petulanter de B. Virgine Θεοτόκον pronunciaffe, vni Scioppio ob rationes supra adductas minime fidentum esse, certi sumus. Nam et improbus mos pessima quaeque siue vera sint, siue falsa et conficta de apostatis disseminandi innumeris exemplis in vulgus notus est, atque a moribus Scioppii non alienus; et nihil tale in scriptis Bruni inuenitur, neque inter tot atheismi accusationes, vnquam quantum recordamur, illi obiectum est. Vno sane teste tot nominibus suspecto Bruno hanc impietatis notam inuri, ab omni aequitate alienum,

et a

^m) Omittunt tamen eum scriptores Hist. Lit. Dominicanae.

ⁿ) Iam anno 1580. quo adhuc in monasterio haesit, edidit Venetiis librum de compendiosa architectura et complemento artis Lullii, vid. D. V. V. R. DIER Supplem. Bibl. Gesneri p. 30. anno 1584.

autem libellum de la Cause principio et vno ib. Vid. BAYLE loc. cit. not. D.

^o) Recusam debemus Cel. HEYMANNO AG. phil. Vol. III. p. 432. seqq.

^p) In Orat. valedict. l. c.

et a iustis quoque ratiocinandi legibus abhorrens merito videtur. Quaecumque autem fuerint, quae ipsi in ecclesia Romana displicuerunt, illud certum, graues eum ab ipso adolescentiae suae tempore passum fuisse inimicitias; id quod occasionem ei subministravit de factorum suorum iniquitate his conquerendi verbis :

*At nos, quantumvis fati versetur iniquis
Fortunae longum a pueris luctamen adors.*

Grauiissime autem de iniuriis quas eam ob causam pertulit, deque persecutione, qua premebatur conquestus est in *Oratione valedictoria* Wittebergae habita, in qua inter alia ita differit: *Non subiisse me pudet paupertatem, inuidiam, et odium meorum, execrationes, ingrattitudines eorum, quibus prodesse volui atque profui, extremae barbariei et avaritiae sordidissimae effectus: ab iis qui mihi amorem, seruitium et honorem debebant, conuitia, calumnias, iniurias, etiam infamias, neque pudet experiri esse irrisiones, contemptus ignobilium - - labores, dolores, exilium.* Quae omnia quidem qualia fuerint, specialius describere, deficientibus monumentis non licet, suspicamur autem, Brunum in claustro suo aliquo loco vel munere positum, quo seruitium et honorem postulare debebat, ob liberiores de placitis suis dissertationes, et improbatam suorum vitam barbaram et impuram familiam istam et confodales in se armauisse, vt censuris atque afflictionibus monasticis excruciat; tandem de libertate cogitans exilium ipse elegerit. Neque tamen solus religionis dissensus in causa fuisse videtur illius mali, quo cumulatus erat, sed ipsam quoque Musae suae diligentiam studiumque circa scientias optimas versatum illi patriam, domum, facultates, honores, et quiduis aliud extra ipsas amabile eripuisse, in *Panegyrico* supra laudato, fatetur. Actum se tantumnon esse in desperationem, nisi animum vere heroicum tot tantisque, quibus premebatur malis, opposuisset, ipse narrat, adeo vt vnam mulieris infidelis perfidiam factorum suorum iniquitati defuisse asserat, et de fratrum ignorantiae inuidia, ambitione sophistarum, calumniis maleuolorum, murmuribus seruitiorum, susurribus mercenariorum, contradictionibus domesticorum, suspicionibus stupidorum, zelo hypocritarum, odio barbarorum, furore plebeiorum, et similibus hominum iniuriis acerbe conqueratur. Non succubuit tamen fortunae aduersae, sed fortissimos illi humeros obiiiciens, cum cedere tandem cogeretur, patriam reliquit et exul abiit, vt frui libertate sentiendi et credendi posset. Nam quod P. BAYLE habet, eiectum e patria esse, accuratum haud est, quamuis is ad Valentis Acidalli

testi-

q) De Numero et figura c. 1. p. 38. sqq. Act. phil. Vol. I. p. 514.

r) In Praef. libri de Causa, principio et vno apud BAYLE loc. cit. not. D. in ea legatum Galhae ad Elisabetham Angliae reginam, Michaellem Castelnauum ipsum sua auctoritate contra inimi-

cos texisse, praedicat. Et hinc sine dubio causa deriuanda est, cur libri eius nonnulli, antequam in Germaniam delaberetur, editi, Parisiis prodierint.

s) loc. cit.

t) Epist. 2. p. 10.

testimonium prouocet. Is enim exulem modo vocat, qualis quoque est, qui sponte in exilium abiit, nec spem habet sine periculo redeundi. Ipse se loco supra adducto patriam dimisisse et domum atque facultates contempsisse ait, quae exilium sponte electum innuunt. Ipse quoque Scioppius, eum patriam reliquisse et Geneuam abiisse indicat, id quod, eo auctore, anno 1581 factum. Docebant tum magna auctoritate in schola Geneuensi Calvinus et Beza, quos dissentientes non aequo semper tulisse animo, et in eos quos a doctrinae Christianae puritate secessum fecisse suspicabantur, seuerius statuisse, nemo ignorat, et vel vna Serueti historia satis superque comprobatur. Facile itaque credimus Scioppio narranti, biennio Geneuae commorantem, tandem quod Calvinifimum per omnia non probaret, ibi eiectionem esse. Nam et simile fatum Simonio Simonio circa idem tempus euenisse, ex vitae eius historia, quam in *antedecenti Parte huius Tomi* dedimus, constat, Brunii autem ingenium non in philosophia modo, sed in sacra quoque doctrina eclecticum et *παιδαγωγόφιλον* nobis persuadet, acrius eum et cum contentione quadam placita sua defendisse. Relicta Geneua Lugdunum abiit, cum Caluini quoque partibus accedere nollet, dein Tholosam, hinc Parisios deuenit, ut tradit Scioppius. Magna iam tum cum delectatione audiebantur apud Parisienses, qui in Aristotelem declamabant, et haud exigua eorum fama erat, qui decretis Peripateticis se opponere audebant, id quod Petri Rami exemplo constare potest, et Guilelmi Postelli quoque confirmatur, de quo Gatterius apud LAVNOIVM^v narrat; *eum anno 1581 tanto auditorum, quasi ad rediuium et inusitatae aetatis doctorem ac currentium numero docuisse, ut vix credi posset; quem tamen, notum est, acerrimum in academia Parisiensi bellum in Aristotelem commouisse.* Brunus ergo, cui non alius, quam Aristoteles, philosophus magis inuisus fuit, ut famam et discipulorum plausus aucuparetur, philosophiae emendationem crepare publice coepit. Dedit ob eam causam epistolas ad Henricum III Galliae regem, et Ioannem Filescum vniuersitatis tum rectorem, itemque ad Parisienses, quae eius verba sunt, *et alios e generosissimo Galliarum regno philosophos sensationis philosophiae dogmatum amicos et defensores.* Si quoque fides Scioppio, meruit ista compellatione, ut inter professores philosophiae extra ordinem docentes reciperetur, ordinarium locum occupaturus, nisi sacris mysticis interesset iussi essent professores ordinarii. Fatemur tamen scrupulum de hac eius dignitate atque munere isto nobis enasci ex eo, quod neque BVLAEVS^x, neque LAVNOIVS eius villo modo mentionem fecerint, licet prior de impugnato ab eo Aristotele apud Parisienses deque epistola ad rectorem vniuersitatis nonnul-

n) Annum 1580 ponit Niceronius, sed contradicente Scioppio, qui sine graui ratione et obmeram coniecturam deserendus haud est. Nec ex libris anno 1582. Parisiis editis sequitur, eo anno iam ad Gallos Brunum transisse.

v) De Fortuna Arist. in acad. Paris. c. XIV. p. 272.

x) Hist. Vniuers. Paris. T. VI. p. 786. 787.

nonnulla monuerit; non omiffuri, vt erant in huius generis exemplis colligendis diligentiffimi, fi vestigium eius rei in chartophylacio academiae inueniffent. Illud certum, publica disputatione defendiffe Brunum nouae philosophiae theoremata, leguntur enim *articuli de natura et mundo, a Nolano in principibus Europae academiis propofiti, quos Ioannes Hennequinus, nobilis Parisiensis, sub eiusdem felicibus auspiciis contra vulgaris et cuiuscunque aduersariae philosophiae professores triduo Pentecostes in vniuersitate Parisiorum defendendos euulgauit, breuibus adiectis rationibus*: additur; *Excubitor, seu Io. Hennequini apologetica declamatio habita in auditorio regio Parisiensis academiae anno 1616 LXXXVI, pro Nolani articulis*. Has schedas ipse Brunus in Saxoniā delatus anno 1618 LXXXVIII ipse vulgauit, praefixo titulo: *Acrotismus, seu rationes articulorum physicorum aduersus Peripateticos Parisiis propofitorum* 2. Quam vero ibi fortunam Brunus fecerit, partim ex zelo professorum Parisiensium pro vulgari philosophia, partim ex breui, quam Lutetiae fuit, mora facile colligi potest. Aegerrime enim tulisse doctores Parisiensis contemtam Aristotelis auctoritatem et publicis statutis, pontificis quoque atque regis auctoritate interposita, libertatem nouatorum repressisse, multis demonstrat LAVNOIUS, et nos supra in vita Berigardi et Gassendi luculentis exemplis atque testimoniis comprobauimus. Brunus autem et Aristotelem mire contemnebat, et eius sectatores velut bruta et fecem philosophorum despiciebat, et in professores mira calami orisque intemperie declamare solebat. Nam vocare Aristotelem omnium sub nomine principum philosophorum stupidissimum haud cunctatus est, et philosophos sophistarum nomine haud semel acerbe perstrinxit: quale illud est, quod in carmine *de Minimo* 3 habet:

*Sic rationis opus, sic viuida vis aciei
Humani sensus, paries, quibus applicet illis
Mensuras quibus expendat, praeconcepit, ipsis
In foribus, quarum palans a finibus ingens
Turba sophistarum caecos nihilominus orba
Longius abduxit, quam per compendia possint,
Aut leuibus notis meliora capeffere dicta.*

Ex quibus recte, nisi fallimur, intelligimus, Brunum, philosophiae suae atque oris libertate coactum Parisiensiumque inuidia pressum aut eiectum ea vrbe esse, aut sponte abiisse, vt se persecutioni infidiisque subduceret.

§. III. Relictis Parisiis ad Anglos secessisse Londinique confedisse Brunum tradit Scioppius, quem omnes fere, qui Bruni historiam attigerunt, sequuntur. Addit ille, edidisse istuc libellum *de Bestia triumphante*, hoc est, papa. Et in hoc quoque plerorumque assensum Scioppius meruit.

C 2

Offen-

1) Eo auctore constat, anno 1585. Brunum Parisiis contra Aristotelem disputare coepisse.

2) NICODEM. BAYLE II. cc.
3) p. 5. conf. p. 98.

Offendimus autem insolubiles in hac narratione nodos, quos non nisi Alexandri ensis secuerit. Et de libello quidem isto famoso infra plura dicemus, ostensuri annum editionis, quem in titulo prae se fert, locumque quem nominat^b, cum hoc itinere Anglico non conspirare. Idem de caeteris huius itineris circumstantiis pronuntiandum est. Nam ex *BVLAEI*^c testimonio, et ex *Acrosticho* Bruni indubitatum est, festo Pentecostes anni *clō lō lxxxvi* eum adhuc integra fama atque plausu Parisiis vixisse, et publice pro eo verba dicta esse. Relinquere itaque Lutetiam ante mensum Iunium vel Iulium non potuit, si etiam ponamus, quod non sine omni verisimilitudine dicitur, ita crabrones sua disputatione irritauisse Brunum, ut fuga sibi consulere et deserere arenam, quam victor hactenus obtinuerat, coactus sit. Ast medio anno *clō lō lxxxvi* Wittebergae fuisse, ex *Oratione eius valedictoria* ea in academia habita, luculenter, nisi fallimur, demonstrari potest. In ea enim ita disserit: *Vos me suscepistis, intraque vestros lares fere biennii spatio fouistis, et Iouia quidem mente pertulistis, et iniquis meis minime placidas aures porrexistis* etc. Habuit autem eam orationem VIII Idus Mart. anni *clō lō lxxxviii*, ex quo sequitur, si fere biennii spatio Wittebergae haesit, non serius illuc, quam mense Iulio anni *clō lō lxxxvi* peruenisse. Ergo aut prorsus confectum est illud iter Anglicum, aut male in hoc tempus translocatum, aut aliquot tantum diebus Angliam tum a limine salutauit, quo tamen supposito, tempus non habuit, quod requirebatur ad edendum de Bestia triumphante libellum satyricum. Aut ante suum ad Geneuenses discessum in Angliam abiit; id quod inde conicere quis possit, qui Gallico ad Anglos legato Castelnauio adhaesit, cui librum *Cena de le Cinere* anno *clō lō lxxxiv* inscripsit, teste P. BAYLE^d. Quodcunque elegeris, vacillat fides Scioppii, quem vaga narrantium traditione deceptum hoc iter Anglicum in alienum tempus reiecisse, nobis est probabilissimum. Nam fuisse Brunum in Anglia, ex eius *Furoribus heroicis*, Italico sermone scriptis patet, quos in insula edidit, teste P. BAYLE^e, et Philippo Sidneo armigero, qui humaniter eum exceperat, et officiis quibuscunque profecutus erat inscripsit^f.

Bruni mora Wittebergae. §. IV. Certior autem nullique dubitationi obnoxia est mora Bruni, in Germania. Et exul quidem amicis, necessariisque omnibus destitutus inops et pauper Wittebergam se conuertit, et sacra, quibus Lutheri sequaces adhaerent, professus est, magna animi contentione inter necinum contra Romanum pontificem odium testatus. Discimus id ex *Oratione valedictoria* supra

b) Paris. 1584.

c) loc. cit.

d) Id illis quoque statuendum est, qui libellum de Bestia triumphante Philippo Sidneo Angliae armigero dicatur et Parisiis 1584. editum ab eo esse contendunt. His vero obstat Scioppii relatio.

e) l. c. n. D.

f) Si verum est, quod BAYLE loc. cit. tradit, librum de Bestia triumphante Paris. 1594. editum demum esse, recte inde inferitur, post annum demum 1591 eum in Angliam transisse, dicatur enim est Philippo Sidneo equiti Angli. Ast dicemus infra alios, qui ipsi quoque libellum viderunt, annum 1584. ponere. Nihil itaque pro certo definimus.

supra iam in partes vocata, in qua se venisse inter alios, ait, istius domus sapientiae visendae amore concitatum, flagrantem spectandi Palladii istius ardore, pro quo se subiisse non pudeat paupertatem, inuidiam et odium suorum etc. Impense quoque laudat Wittebergenfium humanitatem, quod miserum et contentum benigne fouerint et receperint, et docere quoque libertate philosophica permiserint. Dabimus ipsa Bruni verba, cum haec omnia mire illustrent. Ita vero differit: Adde, quod, cum Germanos doctrina adeo excultos inuenerim, ut etiam cognoscerem, eosdem minime omnium moribus esse barbaros et agrestes, cum ad vos pro laribus vestris perlustrandis peruenissem, natione exterus, exul, transfuga, ludicrum fortunae, corpore pusillus, rerum possessione tenuis, fauore destitutus, multitudinis odio pressus, et ideo stultis et ignobilissimis illis contemptibilis, qui nusquam nobilitatem agnoscunt, nisi ubi aurum fulget, tinnit argentum, et similia sibi fauor tripudiat et applaudit. Vos doctissimi grauissimi, et morigeratissimi senatores non spreuistis, et studium meum, non a uestratum omnium studio prorsus alienum, non adeo improbauistis, ut pateremini philosophicam libertatem et uestrae humanitatis insignis specimen temerari: sed me uestrae Mineruae, illius inquam virginis uestraeque matrisfamilias amore coecum desipientemque suscepistis, intraque uestros lares fere biennii spatio fouistis et louia quadam mente pertulistis, et inquis meis minime placidas aures porrexistis. Ex quo loco patet, philosophiam Brunum apud Wittebergenfes docuisse, non quidem publica auctoritate conductum, ut tradit Scioppius, aut priuata tamen licentia toleratum. Quod autem Aristotelicam philosophiam impugnauerit, minime dubitandum est, quoniam meditationes et disputationes suas, Parisiis in Aristotelicos habitas Wittebergae *Acrotismi* rubro praefixo anno 1510 LXXXV III vulgauit. Verisimile autem est, eadem oris et mentis libertate paradoxam suam philosophicam ventilasse eo in loco Brunum, qua in Italia et Gallia usus erat; adeoque in professores philosophiae Aristotelicae haud raro dicaci dicendi iudicandique genere insurrexisse. Id enim ex libro *de Minimo* patere, et haud obscure eum in illo Philippi scholam fugillare, supra iam obseruauimus. Erat enim animo impotenti, et cum pulchrius se sapere crederet, contemptui alios habebat, praecipue scholarum publicarum doctores. Ita vero nouam sibi inuidiam Brunum conflasse, non est, quod pertinaciter in dubium vocemus, cum ipse in laudata oratione innuat, aduersariorum querelas ad senatum academicum fuisse delatas. Et haec forte causa fuit, cur Wittebergam nondum exacto biennio toto iterum reliquerit. Licet eclectica quoque sentiendi libertas, qua in doctrina sacra non minus, quam in philosophia, utebatur, eum hoc loco pellere potuerit. Neque tamen eiectum neque publicis inimicitiiis pressum et ad relinquenda haec Musarum castra coactum fuisse, ex oratione valedictoria patet, in qua beneuolentiam Wittebergenfium mire laudat, et se Lutheri placitis mordicus esse addictum

addictum simulat, placide autem discessum meditari, actis publice gratiis proficitur. Vnde perperam CROSAEO ^g assertum, eum ex hac academia eiectum fuisse. Haec enim omnia, quae adduximus, huic ignominiae refragantur, et honestis titulis ex illa schola Brunum discessisse aperte loquuntur. Istam autem orationem typis eo anno edidit, in cuius titulo se doctorem vocat, quem gradum, incertum in qua doctrinae facultate, aut in Italia accepit, aut Parisiis; certe sine eo hoc loco cathedram superiorem, quam vocant, conscendere ei non licuisset.

*Ars Lullistica
a Bruno Wittebergae doctis.*

§. V. Praeter physicam, metaphysicam, et mathesin, quibus disciplinis eo tempore se totum dedisse Brunum ex scriptis eius tum editis evidens est atque indubitatum, artem quoque Lullianam eum Wittebergae docuisse valde verisimile est. Huic enim arti plurimum Brunum tribuisse, ex libellis *de Vmbris idearum, de compendiosa architectura et complemento artis Lullii, de imaginum, signorum et idearum, compositione, ad omnia inuentionum, dispositionum et memoriae genera; de umbris idearum; et, cantu Circaeo ad memoriae praxin ordinato*, quos vel ante hoc tempus in Italia et Gallia vulgauerat, vel hoc demum tempore typis ediderat, est notissimum. Patetque ex libellis his ex parte operibus Lullii suffixis, quanta imaginationis ferocia et luxuria in hac arte vel tradenda vel exercenda versatus sit. In omnem autem partem orationis aciem vertere, et de quocunque argumento disertare arti Lullianae proprium est. Et his sine dubio rationibus nituntur, qui, Brunum in academia Wittebergenfi publica oratione diabolium laudauisse affirmant. Non procul hoc a moribus et arte Lullistarum abesse, vltro fatemur ^h, licet si hoc scopo illud argumentum tractauerit, minori, quam obiici solet, inuidia id fecisse censendus sit. Ipsa quoque *Oratio valedictoria* eius, vt recte obseruatum Cel. HEVMANNO ⁱ, Lulliana artificia redolet. Ast haec tamen omnia non sufficiunt, vt hanc narratiunculam admittamus tanquam veram, cum fidei historicae regulis prorsus aduersetur. Testes enim eius traditionis non alios habemus vel antiquiores, quam BARTHOL. KECKERMANNVM ^k, et GASP. DORNAVIVM ^l, quorum hic tamen satis prodit, incerto se eam rumori debere. Hos secuti sunt alii, Taubmannus, Vossius, Allatius, Crosaeus, quorum loca attulit HEVMANNVS ^m. Ast in re nulla verisimilitudine gaudente hi sane testes inepti sunt, qui in tanta rei singularitate et iniquitate adstruenda *εὐρήκοις* requiruntur. Quod si tale quid ausus esset oratione publica Brunus, an vel toleratus fuisset in ista academia, vel oratione valedicere et benevolentiam professorum ambitiose praedicare potuisset, Lectoris iudicio expendendum relinquimus, et sine formidine oppositi inter fabulas hanc

g) loc. citat.

h) Vide quae apposite monuit Cl. HEVMANNVS Act. phil. Vol. II. p. 392.

i) Ibid.

k) System. Rhetor. Spec. I. p. 1647.

l) Dedic. Amphitheatri sapientiae Socraticae.

m) loc. cit.

hanc narratiunculam reponimus. Solent autem fabularum plerumque occasiones existerre, nec huic quoque defuisse originem, dubitandum est. Et Cel. HEVMANNVS quidem, qui magna accuratione Bruni historiam fabulis liberavit, inde hanc ignominiam infelici fuisse affricam philosopho putat, quod in lectionibus Lullianis ingenium ostentando diabolum se laudare posse stulte magis, quam impie, iactauerit: nec repugnamus, si quis ita incaute Brunum calumniae huius occasionem exhibuisse ipsum contenderit. Totam tamen vitae Bruni scenam vno oculi ictu perlustrantibus nobis verisimilius est, fabulam hanc tunc demum eusam esse, cum Brunus flammis vlticibus a Romanis esset deletus. Cum enim nimis inuidiosum esset, veritatem fateri, eum ob apostasiam ordinis horrendo mortis genere fuisse sublatum, quaerendae erant *προφάσεις* et impietas horribilis praetendenda, ut iuste tam atroci supplicio enecatus crederetur. Cum autem Wittebergae docuisset, et publice quoque orationem habuisset, occasio ita enasci potuit commoda, oratori Lulliano, de argumento quouis differere auso hanc culpam tribuere. Nec hoc a moribus inquisitorum alienum erat, quibus Witteberga fides erat in oculis, et apud quos dira et nefanda quaevis de Luthero et schola Wittebergenfi non credebantur modo, sed et obiiciebantur. Quales calumniae hodie nondum defierunt, licet tam impudentes, ut viros honestos, a Lutheri partibus alienos, earum pudeat. Quaecunque autem vera fabulae origo fuerit, illud lectorem, veri amantem et eius legibus utentem, concessurum speramus, non posse eam probari, ut animo certitudinem historicam vel etiam verisimilitudinem sectanti fiat satis. Merito itaque cum illustri LEIBNIZIO^o aliisque viris doctis, putidum mendacium ex historia philosophica eiicimus.

§. VI. Witteberga, Pragam delatum esse Brunum, ibique librum *Brunus an Pragmae commoratus sit.* edidisse *de Immenso et infinito*, itemque *de Innumerabilibus*, et rursum alium *de Umbris et ideis* inque iis horrenda prorsus absurdissima docuisse tradit porro Scioppius, cuius auctoritatem sequuntur CROSÆVS NICERONIVS et illustris IORDANVS^p. Ast hoc quoque loco multa sunt, quae crucem figunt, et narrationem Scioppii suspectam faciunt. Quamvis enim librum *de Specierum scrutinio et lampade combinatoria* Pragae esse editum asserat MORHOIVS^q, cuius fide stare nos posse non inuiti concedimus, nondum tamen inde sequitur, Brunum Pragam Witteberga commigrauisse, quemadmodum misere ratiocinatur Scioppius, Pragam eum delatum fuisse, quia libri eius ipsi Scioppio ex hoc loco fuerint submissi. Credi vero vlla verisimilitudinis specie non potest, Brunum, qui animum pontificiis sacris prorsus aduersum in oratione valedictoria prodidit, et de crudelitate cleri tam acerbe questus erat, tot scilicet

n) Recte is ad exempla Ayreii, cuius processus Satanae contra Christum notissimus est, et Abrahami a S. Clara prouocat.

o) Leibniziana p. 142. IORDAN. l. c. HEVMANN. l. c. p) loc. cit. q) Polyhist. T. I. Lib. 2. c. 5. f. 29. p. 355.

cet mala et inexauditas vexationes, quod ait, expertus, in vniuersitatem iisdem sacris addictam abiisse, et nouis se periculis exposuisse, anno vero, vt dicemus, sequenti iterum in academiam Lutheranam commigrasse. Falsum quoque est, librum *de Vmbris idearum* Pragae editum esse, qui in titulo annum cō IO LXXXII¹ prae se fert, quo nondum ad Germanos Brunus delatus erat. Librum autem *de Immenso*, tot, quod vult Scioppius, blasphemis plenum Pragae potuisse imprimi, quis rerum gnarus crediderit? Ast plane confictam esse huius libri editionem Pragensem, ex eius inscriptione patet, cuius testimonio constat, librum hunc *de Monade, numero et figura, consequens quinque de minimo, magno et mensura, item de innumerabilibus, immenso et infigurabili, seu de vniuerso et mundis, libros octo* prodiisse *Francofurti anno cō IO XCI*, forma, quam vocant, octaua²; in cuius dedicatione ad Henricum Iulium Brunswicensium ducem et episcopum Halberstadiensem narrat librum se *de Minimo* illi principi inscripsisse. Ast hic quoque *de Minimo* liber Francofurti editore Wechelo eodem anno cō IO XCI³ prodiit, ante cuius editionem absolutam fato abreptum Germania Brunum excessisse editor refert. Ergo non fuit amplius inter Germanos, cum liber *de Immenso* prodiret, id quod satis probat, falsam esse narrationem Scioppii, qui aut malae fidei, vt Brunum ob mutatam singulis annis religionis professionem calumnia opprimeret, aut, si aliorum relatione deceptus est, supinae negligentiae omnino reus est dicendus, hocque specimine satis manifestauit, parum certitudinis fideique in eius narratione quoad pleraque deprehendi. Illud autem facile nobis persuaderi patimur, Brunum, qui inter Lullistas haud ignobile nomen tuebatur, habuisse in ea arte, quae tum temporis inter Germanos passim magnifice extollebatur, suos Pragae affectas et admiratores, quorum cura libelli nonnulli Lulliani ab eo profecti ea in vrbe editi sint⁴. Quae coniecturae an cum ipso facto consentiant, illi certius iudicabunt, qui editiones Pragenses viderunt. Nos enim eas modo vidimus, quae operibus Lullii apud Argentoratenses editis adiectae leguntur.

Reliqua Germaniae loca ubi Brunus haesit.

§. VII. Certiori fidei gradu scimus, apud Helmstadienses Brunum anno cō IO LXXXIX⁵ fuisse versatum, inuitatum gratia et beneuolentia ducum Brunswicensium Iulii, et Henrici Iulii. Et illius quidem fauore fuisse gauisum ex *Oratione consolatoria, a Bruno in academia Iulia in fine sollemnissimarum exequiarum illustrissimi potentissimique principis, Iulii, ducis Brunswicensium, Lunaeburgensium etc. prima mensis Iulii* „anno cō IO LXXXIX⁶ habita, constat, in qua „prouidentia quadam, „factum esse, ait, vt nescio quo vento seu tempestate ad regionem hanc „hicce compulsus fuerit diebus, quibus funeri celsissimi principis inter- „esset

¹) IDEM I. c. p. 370.

²) Act. philos. Vol. I. p. 507.

³) De Specierum scrutinio Pragae 1588. МОН-НОВ. I. c. T. I. L. II. c. 5. §. 29. p. 356.

„effet “.“ Quanta autem illius principis, quem eruditorum asylum recte dixeris, gratia frui Bruno licuerit, ex his eius verbis intelligitur: „In mentem ergo, (ita ad seipsum orationem dirigit,) in mentem, Itale, „reuocato, te a tua patria honestis tuis rationibus atque studiis pro veritate exulem, hic ciuem; ibi gulae et voracitati lupi Romani expositum, „hic liberum; ibi superstitioso insanissimoque cultui adstrictum, hic ad „reformatiores ritus adhortatum; illic tyrannorum violentia mortuum, „hic optimi principis amoenitate atque iustitia viuum.“ Ex quibus verbis recte, nisi nos omnia fallunt, colligimus, Brunum huius Moecenatis beneficentia post discessum Wittebergensem, sustentatum in eius terris vixisse. Idem de Henrico Iulio testatur Ioannes Wechelus *, liberaliter Brunum et honorifice ab eo habitum fuisse. Iulio mortuo ad Francofurtenses Brunus delatus est, vt librorum suorum editioni praeesset. Quibus cum typographum Ioannem Wechelum inuenisset anno c1o 1o xc in ea vrbe haesit, schemata ipse sua manu sculpsit, operarumque se correctorem praebuit; alia industriae monumenta affecta habuit, alia animo concepit. Verum et hoc loco persecuta eum factorum iniquitas sequente anno eiecit, incertum quo casu, quae de causa, certe graui et inexpectata, parumque laeta. Id enim Wecheli verba fati manifeste produnt, Id. Febr. anni c1o 1o xci scribentis y, cum vltimum duntaxat superesset operis de Minimo folium, casu repentino auulsam, extremam ei, vt ceteris manum imponere non potuisset, perque literas rogauisset, vt quod sibi per fortunam non liceret, ipse pro se suo nomine praestaret. Eodem tamen anno c1o 1o xci liber quoque de Monade, numero et figura prodiiit, eidem principi inscriptus, quem operis quoque Wechelianis debemus. Cum in hoc carmine libros suos, Sigillum sigillorum; de principio, causa et vno, de principiis rerum; de sphaera; in partes vocet, liquet inde, eos iam tum typis fuisse vulgatos.

§. VIII. Ex Germania quo delatus sit, certo definire non audemus; coniecimus autem haud contemnendis rationibus in Britanniam eum fecisse. Ibi enim fuisse, ex iis quae supra de carminibus eius, quibus titulum fecit, *li Heroici furori*, quaeque in secessu hoc Anglico composuit, indubitatum est. Quamuis autem suspicari nos posse, supra iam monuerimus, Brunum cum legato Galliae regis, ad Anglos Castelnauio, cuius praesidio contra persecutiones inimicorum tegebatur, anno c1o 1o lxxxiiii illuc concessisse, quo pacto cohaereret annus editionis libri *de Bestia triumphante*, quem qui viderunt huic anno tribuunt, et Philippo Sidneo inscriptum esse referunt: Hoc tamen pacto reliqua, iter nempe Helueticum, Gallicumque non conspirant. Nobis itaque veri-

Ex Germania
quo delatus
Brunus.

fimilli-

u) Recudi eam fecit Cel. HEVMANNVS
Act. philof. Vol. III. p. 452.

x) In Dedicacione libri de Minimo,
y) loc. cit.

simillimum videtur, Brunum paradoxarum sententiarum inuidia vbiq̄
 pressum et exagitatam tandem ex Germania ad Britannos secessisse, et a
 Philippo Sidneo liberaliter habitum omnique officiorum genere recreatum
 fuisse. Conuersatum autem cum foeminis quoque Anglorum ex laudibus
 earum, quas *Heroicis furoribus* adnexuit, colliges. Quodsi inter Bri-
 tannos tum vixit, diu ibi eum non haesisse oportet. Anno enim c1o lxx
 Valens Acidalius ad Michaëlem Forgazium, Baronem Gimesii Patauii
 haerentem ita scripsit²⁾: *Quaero etiam vnum: Iordanus Brunus, is quem
 Wittebergae nosti, Nolanus Bataui nunc apud vos viuere et docere di-
 citur. Ita ne est? et quid hoc hominis in Italia audet, ex qua vt olim
 fatebatur, exul abiit; miror, miror, nec rumori adhuc fidem habeo, etsi
 ipsum a fide dignissimis. Tu me docebis, et aut certum aut falsum
 facies.* Non subiungitur quidem inter epistolas Acidalii a fratre eius
 editas responsio Forgazii, dubitandum autem non est, quin reuera ea
 in academia Brunus, nescio qua leuitate animi ductus, haeserit, et phi-
 losophiam suam paradoxam nonnullis tradiderit. Venetiis enim in ma-
 nus inquisitionis venisse testatur Scioppius. Aut itaque animo desultorio
 actus Brunus, patriam repetere ausus est, aut animi confidentia pericu-
 lum, quod praeuidere poterat, contempsit. Id quod facile nobis persuade-
 re possunt versus eius in libro *de Numero* ³⁾:

*At nos, quantumvis satis versemur iniquis
 Fortunae longum a pueris luctamen adorsi
 Propositum tamen inuicti seruamus et ausus,
 Quis vel sorte Deo tantummodo teste valemus,
 Vel non visque adeo aegroti sumus atque sopiti,
 Vel certe sensum morbi retinemus, et vltro
 Temnimus, et mortem minime exhorrescimus ipsam.
 Viribus ergo animi haud mortali subdimus vlli.*

*Fata Brunii
 vltima,*

§. IX. In Italia cum haereret, aliquandiu tutus latuit, tandem
 cum, quod coniecimus, oris libertate vteretur, eosque corripere, quos
 tangere piaculum est, maximum in suum caput malum cumulauit. Ve-
 netiis enim anno c1o lxxviii ab inquisitione prehensus et carceri in-
 clusus est, sine dubio, quod innotuisset, eum non modo ab ecclesiae
 Romanae communionem defecisse, sed et sacrum ordinem deseruisse,
 quales apostatas ordinis, quos vocant, seuerè punire solet sacrae inqui-
 sitionis officium. Videtur autem et verborum, quod solebat, vehe-
 mentia atque impudentia, et librorum, qui in Italiam missi erant, quique
 horrendas blasphemias continere dicuntur Scioppio, diuulgatione, in vrbe
 Patauina, quam in ditione Venetorum sitam tutam ab infidiis inquisito-
 rum putabat, indicium praeuuisse atque occasionem eum capiendi atque
 ferali rogo imponendi. Enarrabimus rei euentum Scioppii verbis, qui
 testis

2) Epistolarum a fratre editarum secunda p. 20,

3) L. I. v. 38, seq.

testis fuit *αυτόπτης* et *αυτήκοος*, et eodem die, quo miser ignibus vstulatus periiit, rem omnem ad Rittershusium perscripsit, vt inuidiam, in quam incurere horrendo facinore Romanos intelligebat, apud Germanos deprecaretur. Is ita rem tradit: „Tandem Venetiis in inquisitionis manus peruenit, vbi diu fatis cum fuisset, Romam missus est, et saepe a S. officio, „quod vocant inquisitionis, examinatus, et a summis theologis conuictus, modo quadraginta dies obtinuit, quibus deliberaret. Modo „promisit palinodiam, modo denuo suas nugas defendit, modo alios „quadraginta dies impetrauit. Sed tandem nihil egit aliud, nisi vt pontificem et inquisitionem deluderet. Fere igitur biennio postquam hinc „in inquisitionem deuenit, nupera die nona Februarii in supremi inquisitionis palatio, praesentibus illustrissimis cardinalibus S. officio inquisitionis, qui et senio et rerum vsu et theologiae iurisque scientia reliquis „praestant, et consultoribus theologis et seculari magistratu, Urbis gubernatore, fuit Brunus ille in locum inquisitionis introductus, ibique genubus flexis sententiam contra se pronuntiari audiit. Ea autem fuit „huiusmodi: narrata fuit eius vita, studia et dogmata, et qualem inquisitione diligentiam in conuertendo illo et fraterne adhibuerit, qualemque „ille pertinaciam et impietatem ostenderit. Inde eum degradarunt, vt „dicimus; profususque excommunicarunt, et seculari magistratu tradiderunt puniendum, rogantes, vt quam clementissime, et sine sanguinis „profusione puniretur. Haec cum ita essent peracta, nihil ille respondit „aliud, nisi minabundus: maiori forsan cum timore sententiam in me „dicitis, quam ego accipiam. Sic a lictoribus gubernatoris in carcerem „deductus ibique octiduo asseruatus fuit, si vel nunc errores suos reuocare vellet. Sed frustra. Hodie igitur ad rogam suam deductus est. „Cum saluatoris crucifixi imago ei iamiam morituro ostenderetur, toro „eam vultu aspernatus est. Sicque vstulatus misere periiit, renuntiaturus, „credo in reliquis illis, quos finxit mundis, quonam pacto homines blasphemiam et impium a Romanis tractari soleant. Haec Scioppius, Romae xvii Febr. anni 1610, cuius narrationi velut fide dignae calculum adiecerunt, eamque repetiuerunt, IO. HENR. VRSINVS ^b, THEOPHILVS SPIZELIUS ^c, IO. TOLANDVS ^d, IO. FR. BVDDEVS ^e, IAC. FR. REIMMANNVS ^f, M. VEISS. LA CROZE, P. NICERONIVS ^g aliique, qui tragicum vitae Brunii exitum enarrarunt. Aliter tamen visum aliis, dubitauit enim de fide Scioppii, qui Brunii inter eruditos Neapolitanos meminit NICODEMVS ^h, quem sequitur P. BAYLE ⁱ, HAYMIVS autem ^k, qui libros raros inter Italos collegit, nescio, quo auctore, in effigie tantum crematum esse asserit. Nobis non satis caussae videtur suppetere, vt de re ipsa,

D 2

eiusque

b) l. c. p. 5. ubi tamen falsum est die 9. Febr. Brunum fuisse extinctum.
 c) De Atheismo.
 d) l. supra cit.
 e) Theol. de Atheismo c. 1. §. 24.

f) Hist. Atheismi Sect. III. c. 4. §. 16. p. 374.
 g) l. c.
 h) Addit. ad Toppii Biblioth. Neap. l. c.
 i) l. c.
 k) Notizia dei librari nella ling. Ital. p. 184.

eiusque certitudine historica dubitemus. Licet enim in haud paucis fidem Scioppii supra in dubium vocauerimus, hoc tamen loco, ubi de mortis Brunianae genere fermo est, illi deneganda haud est. Ea enim narrat, quae si facta haud fuissent, vel aliter gesta, reticuisset, nec incerto rumore scripisset, cum probe praeuideret, haud exiguum Romanis inuidiam apud exteros ea conflatura esse; ideo autem ipso executionis die ad Rittershusium scripsit, ut famam rei insolentis, communemque Romanorum opinionem per vulgus, ut fatetur, sparsam, Lutheranum hominem fuisse combustum praeuideret. Quamuis etiam ea quae narrando acceperat, perperam falseque ad Rittershusium perscripsit, ut supra demonstratum, in describendis tamen fati ultimis Bruni errare vix potuit, cum ipse, ut scribit ad amicum, S. inquisitionis officio interfuisset, dum sententia contra eum lata est. Itaque hac ratione rem euenisse, omnino verum esse putamus. Neque enim haec, licet horrore plena, a consuetudine inquisitionis tum abhorrebant. Ast de vera mortis causa paulo intricatior difficiliorque quaestio est. Et fuisse quidem Brunum velut apostatam, qui ex sacro ordine ad Lutheranos defecisset, diro mortis genere e viuus sublatum, omnes tum Romani credebant, id quod ipse fatetur Scioppius. Is autem meliora, ut ait, edoctus, cum sententiam latam causasque condemnationis coram tribunali audiuisset, Rittershusium docet, eum blasphemiae causa fuisse interemtum. Pollicem in eo premunt Scioppio, Vrsinus, Spizelius, Buddeus, Reimannus, et qui omnium prolixissime et doctissime hanc causam ornauit Cel. LA CROZE¹⁾; contrarium autem ingeniosa apologia tuitus est praestantissimus HEVMANNVS²⁾; ille enim ob atheismi et impietatis culpam vtrices flammis Brunum pertulisse, hic ob desertum ordinem et defectionem ad Lutheranos sublatum, paradoxas autem opiniones tantum ad emolliendam horrendi supplicii inuidiam adductas esse contendit. Difficile autem est, in hac quaestione arbitri partes suscipere, et iudicium accuratum interponere, cum ad verisimilitudinis gradus et momenta probe ponderata res omnis redeat, id quod haud raro a diuersis lectoribus diuerso animo et effectu solet institui. Dicemus nos sententiam nostram, eiusque rationes ita explicabimus, ut integrum sit lectori, quas certiores putat, partes sequi. Duo autem in hac quaestione enodanda probe distinguenda sunt, quae inter se confusa disceptationem virorum doctorum fecere ambiguam et incertam, scilicet, vtrum Brunus atheismum incrustauerit, et impiis atque blasphemis doctrinis religionem naturalem et reuelatam euerterit? et tum, vtrum ob haec atheismi et impietatis vestigia Brunus flammis addictus sit³⁾? et annon illis in speciem modo adductis, vera causa fuerit apostasia ordinis? Et prius quidem momentum accuratius expendendi occasionem nobis commodiorem subministrabit sequens tractatio: ad posterius autem, si Scioppii fide standum

1) l. c. 2) l. c. Cui exemplo praecipit M. R. 3) Conf. LEIBNIZ. Epp. Vol. IV. p. 37.
HOFFMANN I. supra laudato.

dum est, omnino ita respondendum est, blasphemiam commouisse patres inquisitionis officio praefectos, ut igne vindice hoc scandalum tollerent. Ast suspectum valde Scioppium esse, quod ita inuidiam faeuitiae declinare et a Romanis suis auertere voluerit, cum omnium, ipso fatente, consensu traderetur, Brunum ob desertum monasterium ecclesiamque Romanam in cineres fuisse redactum, supra iam haud contemnendis rationibus euicimus, et ipsa epistolae Scioppianae lectio satis superque suadet. Fatemur autem, circumstantiis omnibus probe ponderatis, eam, quam tam studiose a Romanis amoliri satagit Scioppius, sententiam videri nobis vero longe similiorem, et ipsum Scioppii studium supplicii Brunum excusandi pingendique malam causam prodere, et innuere, dicis modo causa heterodoxas assertiones ab inquisitione fuisse adductas. Quamuis enim paradoxa dogmata in coetu Romanensium, isto potissimum tempore, aequis auribus audita non semper sint, et interdum ab inquisitionis officio censuram aliquam meruerint, vix tamen exemplum ostendi potest, eorum assertores, immo atheismi haud obscuros patronos capite plexos fuisse, modo ecclesiae auctoritati caput submittere, et iudicio eius se suasque opiniones tradere non recusauerint. Cuius exempla qui postulat, eum recolere memoria illa iubemus, quae de Pomponatio, Portio, Cremonino Caesalpino aliisque in media Italia impietatis semina spargentibus suo loco diximus. Posito itaque, de quo tamen adhuc disputandum est, Brunum mundis suis innumerabilibus aliisque opinionibus a communi scholarum et ecclesiae decretis dissonantibus, in ipsam religionem Christianam et naturalem iniuriam fuisse, non tamen nobis persuadere possumus, tam feralem in eum sententiam pronuntiaturos fuisse sacri tribunalis iudices, ipso Minoë et Rhadamanto seueriores, si in gremio Romanae ecclesiae mansisset, et illi obsequium detulisset, opiniones suas eius censurae iudicioque submittendo. Ast desertores sacrorum ordinum et ad haereticos quos vocant delapsos mortis poena haud raro fuisse affectos, praetextum autem et colorem ab impietate et blasphemia fuisse petitum, tot exemplis probat inquisitionis historia, ut ad vnum LIMBORCHIVM^o prouocare liceat, si haec omnia iustis rationibus suffulta exemplisque illustrata verisimillima esse pronuntiandum sit.

§. X. Bruniani ingenii characterem qui desiderauerit cognoscere, illi scripta viri singulari prorsus indole praediti legenda sunt: vnum autem cum cura, et quam imprimis postulat, attentione lectum, satis superque docebit, quam mira animi conditione et ingenii singulari natura ab aliis differat. Prima autem, quae in eo vigeat, imaginationis vis fuit, adeo effusa et extra orbitam raptam, ut nisi nos omnia fallant, vix simile vagantis per innumeras easque mire inter se connexas complicatasque imagines ingenii exemplum inuenire liceat. Hinc ad concipienda sibi animi ἰδέωλα, conceptusque miros, insolentes, abstrusos, et paucissimis, ex iis praefertim,

*Character
ingenii Bruniani.*

D 3

*) In Historia Inquisitionis.

fertim, qui adaequatas et claras ideas sectantur, comprehensibiles adeo pronus est, ut his obruere lectorem, et innumeris imaginunculis replere, quam ordine singula et simpliciter enumerare, malit. Hoc non in carminibus modo prodidit, in quibus incredibilis quaedam imaginationis licentia et lasciuientis ingenii fertilitas latet, sed in iis quoque, quae dicendi genere non adstricto scripsit, ubique ea occurrunt, adeo ut de abstractissimis metaphysicis notionibus miras ubique imagines feminet. Immo in ipsis eius orationibus notionum confusarum et ex hac fertilitate sua quasi mole obrutarum exempla mirumque chaos vocum nihil certi significantium, sed mentis ideas confundentium deprehenduntur. Cuius si quis exemplum illustre valdeque memorabile cupiat, quo dictis fides concilietur, eum epilogum *Orationis valedictoriae* legere iubemus, miraturum, quo ruat oratoris entusiasmo quodam correpti, ingeniique emoti furor et insana affectio. Et hinc causa deriuanda est, cur Lullianae arti tantum Brunus pretium statuerit, quantum vix alius, curque aliquot libellis, *de specierum scrutinio; de progressu et lampade venatoria Logicorum; de artificio perorandi; de imaginum, signorum, et idearum compositione;* aliisque supra iam ex parte adductis de ista arte merere conatus sit. Non detinebimus Lectorem istis nugis, curiosum earum ad MORHOFIVM ^p remittentes, sed verba modo Bruni adducimus, quibus quantus in ea arte Lullistica vel Nullistica potius, vir fuerit, ipse, ne nesciremus, prodidit. Scribit enim ^q: *Nobis ita successisse praesumimus, ut quicquid ab antiquioribus hac de re fuit consideratum, praeceptum et ordinatum, non sit conueniens pars inuentionis nostrae, quae est inuentionis supra modum praegnantis, cui appropriatus est liber magnae clavis. Nobis enim datum est, illam inuenisse et perfecisse, nec locis materialibus (verificatis, seu per sensus exteriores) ultra non indiguimus, nec ordini locorum memorandorum ordinem adstrinximus, sed puro phantasiae architecto innixi ordini rerum memorandarum locorum ordinem adligauimus.* Facile largimur Bruno hanc gloriam, neminem veterum vel recentiorum adeo insaniuisse, qui vna *Logicae venatoriae* lectione conuicti scimus, quanto furore imaginationis somnia in ista arte sequatur, et ad nauseam vsque depingat. Nimia autem imaginationis extra orbitam vagantis licentia, supprimi iudicandi vim, et haud raro, quo plus est ingenii, eo minus esse iudicii, nemo ignorat, qui humanae mentis vires atque operationes intelligit, et historia intellectus humani innumeris exemplis comprobatur, Bruni autem omnium manifestissime demonstrat. Desideratur enim ubique fere in huius philosophi meditationibus scripto comprehensis illa iudicandi acies, quae ingenii commenta a veritatibus solidis distinguit, in nexus systematum penetrat, rationibus verisimilitudine decipientibus causas veras, et ad rerum naturam indolemque pertinentes opponit, ac

p) I. c. T. I. pag. 371. Conf. BAYLE I. c. not. C.

q) De vmbri idearum, apud MORHOF. I. c. p. 270.

quid distent aera lupinis, et paralogismus a vero ratiocinio, differat, intelligit. Id quod curiosus et ad causas et rationes propositionum a Bruno adductas attentus Lector facile intelliget: nam et ipsae, quas haud raro assertum it, doctrinae absurdae sunt et ratione carentes, et definitiones ineptae, mancae, superficialia, solisque imaginationis conceptibus nonnullis sine fundamento inaedificatae, et modus ratiocinandi confusus, maleque cohaerens, et tota argumenti philosophici tractatio, obscura, mirisque anfractibus ita ambigua, ut quae eius mens sit, quid de eius assertis statuendum Lector haereat maxime ambiguus. Quam rem ut palpandam Lectori exhibeamus, cum in magna, quae passim regnat scriptorum Brunni raritate, illa modo compendio *Φιλοσοφουμένων* infelicis philosophi legere iubemus, quae industriae acutissimi HEVMANNI^r excerpta debemus. Ea enim, licet minimam eorum partem, eamque fere tolerabiliorem, constituent, ita tamen comparata sunt, ut dicta euidenter confirmet. Quae cum ita se habeant, recte illi pronuntiasse censendi sunt, qui Bruno inter ingenia phantastica et enthuasiastica, quae vocant, locum haud vltimum assignant, eumque audacia magis statuendi, et imaginationis fertilitate, quam inuentione iudicii et veritatis erutae felicitate in historia philosophica memorabilem esse pronuntiant.

§. XI. Quamuis autem haec ita se habere, et virtutem philosophi magni primariam denegandam esse Bruno ex his consequatur, non tamen putandum est, nihil veri vidisse Brunum, nec veritatem vllam detexisse. Cum enim maxima philosophandi cogitandique libertate vteretur, lectione autem in veterum philosophorum scriptis esset satis exercitatus, et mathematicarum insuper scientiarum adminiculis suffultus, multa vidit, ubi a paroxysmo ineptientis imaginationis paulo liberior effulset, animus, quae haud vna ratione probari possunt debentque, et nostrorum temporum felicitas velut insignes veritates demonstrat. Eam enim ingeniorum paradoxorum naturam esse, ut inter mille luxuriantis imaginationis naenias interdum incognitas easque praestantissimas veritates eruant, aurumque interdum ex stercore producant, non ignorant, qui ingeniorum historiam callent. Dari huius rei exempla haud pauca ex scriptis Brunni possent, si id ageremus, ut specialem Brunni historiam scriberemus, facile vero Lector ex iis, quae diligentiae virorum doctissimorum debemus, qui Brunni historiam tetigerunt, eius rei exempla petere poterit, etiam si libris Brunni destitutus. Illud autem non praetereundum, Brunum multa vidisse, quae recentiores philosophi, nescio an forte fortuna, an luminibus Brunianis vsi, velut praestantissimas veritates detexerunt, asserueruntque. Inter quos imprimis Cartesium esse, qui, quod in multis Brunni vitulo araverit, pridem obseruatum P. D. HVETIO^s, G. G. LEIBNIZIO[¶], MORHOFIO,

Brunus veritates quasdam detexit.

^r) Locis citatis.

^s) Cenf. Philos. Cartes. c. 8.

[¶]) Leibniziana p. 143.

HOFIO ¹, CROSAEO ², IORDANO ³ aliisque, qui, ne nimii finis, ipsi consulendi sunt. Nos ut dictis fidem faciamus, ad duo eius rei prouocamus specimina, quorum alterum vortices Cartesii sunt, et globi illi in infinito aëre circum centra sua acti, aliaque physicae Cartesianae hypothesef, alterum dubitatio ad philosophiae principia vel initia potius reuocata. Vtrumque caput passim probatum Bruno, qui tamen prius a Democrito posterius ab Academia accepit. Nec negat Brunus, se veterem philosophiam resuscitauisse, canens ⁴:

*Vfus, principiumque erimus, quando sapientum
Dogmata priscorum priscis clarissima verbis
E fundo eruimus tenebrarum* - - -

Neque cum Cartesio tantum Bruno in quibusdam, quae ille pro nouis venditauit, conuenit, sed alios quoque philosophos nonnulla noua aut debere Bruno, aut cum eo saltem incios facere recte obseruatum illustri IORDANO ⁵, qui Gassendum et Leibnizium huc aduocat. Et illum quidem in describenda atomorum natura, si non Bruni vitulo arare, id quod haud facile quis dixerit, cum eo tamen conspirare, ex illis intelligitur, quae de atomis in libro *de Minimo* ⁶ passim differit. Illustrem Leibnizium autem, quem Bruni libros legisse constat ⁷, nonnulla vel ab eo recepisse, vel illi saltem aequalia tradidisse, exemplis facile probari potest. Vidit enim et asseruit ante Leibnizium Brunus non esse possibile, in specie vlla duo omnino concordantia vel aequalia indiuidua comperire ⁸; mundi partes, et quae in eo sunt, ad vniuersi perfectionem conducere ⁹, malum esse nihil, quod non alicubi sit bonum, optima omnia, quae a natura gubernantur ¹⁰, Dei voluntatem esse necessitatem, neque tamen eam libertati praeiudicare, velle enim immutabilem substantiam immutabiliter, sed non aliena sed propria voluntate, adeoque id ipsam libertatem esse ¹¹, et similia, quae magno acumine postea ornauit vir summus. Ex quibus constat, inter plurimas ineptias, ut solet accidere ingeniis paradoxis, interdum praestantissimas veritates vidisse Brunum, quae satis euincunt, pulcherrime de philosophia mereri potuisse, si sobrie magis philosophari, quam somniis imaginationis pasci voluisset. Maxime vero in doctrina de systemate mundi veritates hodie magnis viris probatas asseruit, et partim ex schola Pythagorae, cui amplissime fauebat, partim ex disciplina Copernici, cui plurimum tribuebat ¹², hausit, nonnullas impetu quodam ingenii et casu detexit. Inter quas imprimis commendat, qui *Scripturam Coperni-*

t) l. c. T. II. L. I. c. 15. §. 6. p. III.

u) l. c. p. 320.

x) l. c. p. 10. add. Act. erud. 1682. p. 187. B A Y-

L E Dict. I. c.

y) De Minimo c. 1. v. 150. p. 6.

z) loc. cit.

a) p. 10.

b) Epist. Vol. III.

c) De Minimo p. 71.

d) Ib. p. 132.

e) Ibid. p. 133.

f) Metaph. p. 9.

g) De Vniuerso L. III. c. 9. Act. phil. Vol. I. p.

884. Errat itaque МОРХОФИУС T. I. p. 875. qui Brunum Copernico priorem istas veritates vidisse, hunc autem prius publicauisse putat. Obiit enim Copernicus cum in eunis adhuc vagiret Brunus.

pernixantem edidit Io. IACOBVS ZIMMERMANNVS, quod statuerit, duorum generum stellas esse, soles immobiles et terras mobiles; mundos reliquarum planetarum nostro esse substantia similes; terram non minus lunae lumen aliquod tribuere, quam lunam terrae; habere sua centra suosque vortices et soles, et quae circa illos voluantur planetarum globos; addi his possunt alia, tellurem in planetam mutandam ^b; cometas esse planetas, proprio circulo gaudentes ⁱ, tellurem non seruire regularem illam sphaericitatem exacte ^k, et quae alia sunt, recentissimis viro- rum praestantissimorum obseruationibus pluribus probata, quae satis produnt, nec disciplinam Bruno desuisse, nec felicitatem inueniendi, si nugari noluisse. At suppressit has virtutes, scintillasque istas extinxit, vanitas hominis, et Pythagorica deliria sectantis et imaginationi habenas prorsus laxantis, vnde tot absurda et a sanioris iudicii calculo prorsus destituta in eius scriptis occurrunt, qualia sunt: periodicus rerum omnium recursus, et circulus, quem et anima in reuolutione sua subit ^l, metempsychosis more Pythagorico assera, intelligentia siue anima rebus omnibus indita cum actu cognitionis, vnde res omnes, etiam minimae sensum et cognitionem habent, numeros, figuras et nomina naturam rebus inscribendo ^m; earum essentiam insculpsisse, hisque numeris rite intellectis Pythagoram, Zoroastrem, Apollonium Tyaneum, Hermetem miracula patrauisse ⁿ; numerorum nominaumque mutatione, mutari posse hominum statum et conditionem ^o; fata hominis eius manibus esse inscripta, immensitatem Dei necessario requirere vt sint infiniti mundi ^p; quia in Deo idem sit, posse et esse, ideo omnia quoque esse, quae ille potest ^q, esse sibi genium propositionibus obscuris remurmurantem, esse in sole quoque animantia hominibus praestantiora, quae, vt ignis, nutriantur, esse ^r naturam numen ^s, hancque Deum in rebus credendam et nominandam; nullum esse lapidem sine anima, eiusque virtutes per somnia, affectuum commotiones, et repressiones se esse expertum ^t, cui hypothesei insulas fabulas de spectris, lemuribus, incolisque variis elementorum inaedificat. Qualia multa cum in scriptis Bruni passim occurrant, satis produnt, eum cum ratione insanuisse.

§. XII. Ex hac ingenii Bruni affectione sequitur, ineluctabilem obscuritatem et confusionem in eius philosophematis regnare debere. Id ipsa scriptorum eius lectio adeo euidenter comprobatur, vt P. BAYLE qui acumine utebatur insolito, et haud raro in abstrusos scriptorum sensus mira felicitate penetrabat, fassus sit, praecipuas eius doctrinas, mil-
Obscuritas et
confusio in
scriptis Bru-
ni regnant.

h) De Min. p. 65.

i) De vniu. L. VI. c. 20. p. 564.

k) Ibid. L. IV. c. 17. p. 441.

l) De Minimo p. 13. 21.

m) Metaphys. p. 102.

n) De Numero c. 1. p. 10.

Hist. philos. T. V.

o) Ibid. c. 6. p. 93.

p) De vniuerso L. I. c. 6. p. 173.

q) Ib. c. 10. p. 341.

r) Ibid. L. IV. c. 7. p. 379.

s) Ibid. c. 10. p. 492.

t) p. 500.

u) loc. cit.

lies obscuriores esse omnibus iis, quae dixere sectatores Thomae Scotique, nos certe obscuriorem vnquam philosophum non deprehendisse, et vacuos haud raro ab eius lectione, licet cum attentione repetita recessisse, sponte fatemur. Causas autem tantae obscuritatis nemo diu quaesiverit, qui ingenii eius characterem supra delineatum probe considerat. Ita enim cum eo comparatum erat, vt inter innumeras, quas sibi fingebat, ideas et notiones miris plexibus inter se complicatas, distinguere, et suis quasque locis ponere haud posset. His confusis inter se animi conceptibus cum inusitata signa et imagines tribueret, dici non potest, quam obscurus et nihil significans euaserit. Accessit dictio poetica, in qua Lucretium imitando antiquas voces affectabat, ipsas grammaticae regulas autem studio haud raro negligebat, idque et licitum sibi esse, et nouae philosophiae suae haud parum decoris afferre contendebat. Quibus cum iungeret sententias, notionesque nouas, inauditas, hasque miris praecisionibus metaphysicis formatas, at insolentibus imaginibus vestitas, saepius autem ad furorem vsque artis poeticae licentia vteretur, fieri aliter non potuit, quam vt Heraclito fieret obscurior. Accidere haec Bruno non temperamenti tantum vitio, sed et affectata, vt maior in obscuris videretur, et mysteria vendere crederetur diligentia. Canit enim:

- - - Non haec secula vulgo
Porrigitur, porro hinc ad malas commoda, genti
Instituenda damus, quae non intelligat ipsa
Omnia. - - -

Ita vero dum latebras quaerit, et velo se tegit, Pythagoreos, vt videtur, imitatus, ne tanta mysteria vulgo patefcerent; philosophorum $\gamma\upsilon\eta\sigma\tau\iota\omega\nu$ numero se ipsum expungit. Nec ita Dauus fuit Brunus, vt non ipse intelligeret, verborum proprietatem et claritatem a philosopho requiri; scribit enim ^w: *Si quispiam ab hoc philosophiae non populari genere verborum cum proprietate simplicitatem tentauerit excludere, magis parricidii et sacrilegii reus esto, quam si Deorum sacrosanctas imagines profanauerit.* Obscuritati Bruni iungi potest debetque spiritus, quem fouit, contradictorius, quo non vni tantum Aristotelis scholae, sed omnibus omnino

Bruni spiritus contradictorius.

v) En quaeſo eius verba, de Minim. exist. L. I. c. l. v. 128. seqq. p. 5. seq.
Nec scilicet quisquam e catachryſo grammaticorum
Per quos ſubuerſum eſt ſophiae genus omne, putetur
Dignus, qui accedat, titulo quocumque ſuperbus
Vt re vel doceat, vel de iſtis indicet expert
Luminis. Ac ſultus quaedam minus eſſe Latine
Inſultet diſta, vt et rebus derogat alte
Deſcriptis, ſed verba putet vocerque Deorum
Aptata his numeris quadrantia ſenſibus hiſce
Quamlibet inuitis, ſiquidem ſua pondera diſta
Senſa dabunt noſtris vbi linor ſuppeditatus
Ceſſerit; incipietque nouae comprehendier artes
Quid claudant, et quid promant; tunc vi meritorum

Multa renaſcentur, quae iam cecidere cadentque
Quae fuerant in honore vocabula nam volet uſus
Vſus principumque erimus, quando ſapientum
Dogmata priſcorum priſcis clariffima verbis
E fundo erimus tenebrarum, pro nonitate
Si ſit opus rerum quocumque e fonte trabantur
Commodius, vocum authores erimusque nouarum,
Grammatici verbis at nobis verba miniſtrent,
Ii obſeruent uſum, quem nos iudicimus ollis,
Nec genus inſipiens temerata mente proternum
Conſandat ſpecies, turbet genus omne, vt ubique
Artes in crepidam retrabantur grammaticaleu.

w) De Minimo L. I. c. l. ad v. 152. p. 8.

omnino philosophis se opposuit. Testem damus inscriptionem articulo-
rum, quos ad disputandum Parisiis proposuit, quam heic repetimus:
*Articuli de natura et mundo, a Nolano in principibus Europae acade-
miis propofiti, quos Ioannes Hennequinus, nobilis Parisiensis, sub eius-
dem felicibus auspiciis contra VVLGARIS ET CVIVSCVN-
QVE ADVERSARIAE PHILOSOPHIAE professores triduo
Pentecostes in vniuersitate Parisiorum defendendos euulgauit, breuibus
adiectis rationibus* *. Talis cum esset, hocque sibi constitutum habe-
ret, vt omnibus contradiceret, non potuit non, vbi vera, clara, certa
deerant, falsa, obscura, ambigua afferre, eaque vt pingeret, anfractuoso et
tenebris abscondito probandi genere vti. Ex quibus omnibus, quem in-
ter philosophos locum Brunus occupet, Lector, nobis non monentibus,
intelligit. Et meruit quidem in eo laudem Brunus, quod sectariam phi-
losophiam maximo odio sit persecutus, probe enim intelligebat, verae
eam sapientiae e diametro esse contrariam, et obstacula philosophanti haud
pauca obicere; de qua re mentem ita suam declarat †:

*Nam vos, o Musae, quacumque ex parte venitis
Appositae, excipiet gratas sophiae genus altum
Quamlibet eque schedis Cumanae verba Sibyllae,
Euandrique rogis referantur, cuncta probantur.*

Quae non ad antiquata modo et reprobata a grammaticis verba pertinent,
sed ad philosophiam quoque ipsam, de qua in antecedentibus dixerat:

*- - - - - quando sapientum
Dogmata priscorum priscis clarissima verbis
E fundo eruimus tenebrarum - - -*

Et hoc quidem respectu ferri excusarique posset, quod omnibus philoso-
phis, qui tunc sectarii erant, se opposuerit. Neque magnopere impro-
bari potest, quod eos philosophos detestatus sit, qui panis lucrandi causa
philosophantur †, quamuis ipse inopia pressus *πρὸς ἀλφίται* philosopha-
tus sit; obstare enim mercenariam diligentiam philosophiae eclecticae, et
haud pauca impedimenta obicere, experientia multoties docuit. Immo
nec in eo peccasse censendus est, quod Aristotelem vbique impugnauerit:
licet enim in eo modum excefferit, quod philosophorum stupidissimum
Aristotelem appellet †, fatendum tamen, in nullo minus argumento pla-
cere posse Aristotelem, quam in eo, quod sibi tractandum nouisque hy-
pothesibus illustrandum sumferat Brunus, nempe physico. Hinc non
modo Parisiis, vt dictum, eum publice oppugnauit, sed et passim in car-
minibus suis calamum in eum strinxit, et scholam Peripateticam mire ex-
agitauit, multisque rationibus adortus est, vt variis speciminibus in eius

E 2 scriptis

x) NICODEMI, BAYLE, II, cc.
y) De Min. L. I. c. II. v. 152. seq. p. 6.

z) De Immenso p. 145. conf. IORDAN, I. c. p. 25.
a) De Minimo p. 49.

scriptis conflat. Immo quod mireris, inter medios Aristotelis, duce Philippo, sectatores Wittebergae recentiores philosophos magno cum Lycei contemptu Aristoteli praefert, et Albertum M. ait ^b, ipso principe Aristotele, cui indignissime, utpote cucullatus, pro temporis illius ratione fuerit addictus, numeris multis fuisse superiorem, Copernicum plus intellexisse in duobus capitibus, quam Aristotelem et omnes Peripateticos in vniuersa eorum naturali contemplatione; Palingenii quingenta carmina praestare Atticismo et Romanismo omnium, qui sub vexillo Peripatetico comitius loquendo et stultissime sentiendo militarint. Et in his quidem omnibus laudandus magis, quam vituperandus Brunus est. Nec deneganda quoque ei laus est, quod in mathematicis disciplinis non proletarie versatus fuerit, earumque adminiculo haud pauca viderit in naturali doctrina, quae veritati propiora sunt ^c. Ast his tamen omnibus non obstantibus et intellectus et voluntatis virtutibus destituebatur, quae ad emendam philosophiam requiruntur. Quanquam enim animo regebatur magno, excelso, errorum contemptore, et imperterrito in subiugandis praeiudiciis, nec ab eruditione erat imparatus, iudicii tamen acumine destitutus, ut supra probatum, totumque imaginationis deliriis se permittens, veram viam inuenire non potuit. Male itaque fecit, quod eas disciplinas attigerit, quae iudicio facem non praeferebant, feliciter absolui nequeunt, qualis est metaphysica, quam, melius sibi consuluisse Bruno, si intactam praetermisisset: Porro improbi laboris patientiam Bruno defuisse, eumque ingenio fidentem extemporali tantum diligentia in scriptis suis concinnandis fuisse versatum, et supina metri negligentia prodit, et fatetur, qui eius metaphysicam edidit, Raphaël Egelinus, licet id in laudibus eius ponat: eam enim, refert ^d, dictasse Brunum *stantem pede in vno; tam rapido*, ita hanc incuriam extollit, *fuit ingenio et tanta vi mentis!* Quod an mentis post serio et diu examinatas rerum circumstantias pronunciantis et attente philosophantis acumen prodat, Lectoris arbitrio definiendum relinquimus, certi, multa paradoxa, monstrosa et inepta in ipso partu suffocaturum fuisse Brunum, si lente philosophando festinare, quam nimium properando coecos catulos parere maluisset.

*Philosophia
Bruni qualis
generis sit?*

§. XIII. Ex his, vero, quae diximus, iudicandum est, vtrum inter reformatores restauratoresque philosophiae Bruno locus dandus sit, vel, an, quod nonnulli faciunt ^e, philosophiae Democriteo-Epicureae reformato-ribus sit adiciendus? Et verum quidem est, Brunum atomorum hypothesin, mundos infinitos vorticesque globorum coelestium hisque similia a Democrito et Epicuro mutuo accepisse. Ast sensu longe alio et diuer-

b) In Orat. valedict. §. 10. Act. phil. Vol. II. p. 425.

c) Inuenies autem in his quoque ingenii prurientis, et affectatae nouitatis fundamento carentis naeuos.

d) Conf. Act. philos. Vol. III. p. 425.

e) Cel. GENTZKE Hist. phil. S. III. c. 2. p. 154. reprehendente BVDDEO Annot. ad hist. phil. c. 6. §. 3. p. 377.

diuerso atomis in natura rerum secundum Brunum vsus est, quam eas adhibere solebat schola Epicuri. Quod vt luculento specimine probemus, en duas de atomis assertiones Brunus: *Nobis, inquit f, vacuum simpliciter cum atomis non sufficit, certam quippe oportet esse materiam, qua conglutinentur.* Qua materia, vt recte doctissimo CROSAEO ff visum, intelligit mentem siue animam mundi per omnia fusam, de qua carmen de Minimo ita auspicatur:

*Vt mens naturae subiectis insita rebus
Momentis graduanda suis depromit, et aptis
Ordinibus constans, numeris discriminat alte;*

Altera ista est, qua sensum et cognitionem adeoque et vitam atque motus principium atomis siue minimis tribuit g: quae cum Epicuri systemate constare non posse, ex comparatione vtriusque clarissime intelligitur. Doctissimus CROSAEVS autem, qui diligenter et attente in Brunus scriptis versatus est, et probe viderat, ab Epicuro et Democrito eum haud raro recedere, in eam sententiam concessit h, esse eius philosophiam naturalem, nihil aliud, quam systema physicum Epicuri Pythagoreismo incrustatum. Quod an commode dici possit, valde dubii haeremus, eo quod Epicureum systema quam primum atomis et vacuo tertium aliquod principium additur, totum neruo suo dissolutum concidit et euanescit. Accedit quod, monente ipso viro summo, atomi Brunus alterius naturae sint, quam Epicuri; nempe rotundae, et terminis suis quas partes esse non vult, sese mutuo contingentes, quam hypothesin latissime prosequitur in libro *de Contemplatione ex minimo*. Vnde si veteri cuidam sectae adscribendus esset Brunus, Semipythagoreus rectius diceretur, quos constat, ipsas quoque atomos rotundas posuisse, aut aliud quoque ad eas regendas, formandas vniendas principium adhibuisse. Ipse sane Brunus in haud paucis Pythagorea philosophemata fecutus est, qualia sunt i:

*Non audita Samii sacra verba parentis;
An non ipsa fluens vario cum tempore raptim
Continuo mutata venit de partibus vitro,
Adscitis nouiter, primis abeuntibus moles?
Nunquid materies eadem tua corporis est nunc
Partibus ac toto qualis paulo adsuit ante?*

Hanc enim hypothesin: cuncta fluere, nec hodie esse, quod heri fuit, quodcunque materiae debetur, Pythagoreos tradidisse, et ab iis Heraclitum accepisse, ex illis, quae *Tomo primo* k dicta sunt, notum est. Ipsa quoque de monade doctrina, et dogma de mundi systemate solem centrum

E 3

habente,

f) De Minimi exist. c. 2. p. 10.

ff) A& phil. Vol. II. l. c.

g) De Minimo L. III. p. 102. A& phil. I. c.

h) loc. cit.

i) De Numero c. 2. p. 24.

k) p. 1074. seqq. 1113. 1135.

p. 756.

habente, Pythagorea sunt. Ast ab hac quoque schola in haud paucis fecerit, id quod vna de mundis innumerabilibus hypothefis, deamata Bruno Venus, probat. Pythagoreae scholae enim mundus tantum vnus est, extra coelum autem infinitum; et extra mundum inane est, in quod et ex quo mundus respiret¹. Quod ex Pythagoreorum schola in suum systema Zeno Cittieus quoque transtulit. Alia, ne nimii sumus, non cumulamur. Rectius itaque ad eclecticae philosophiae restauratores, at parum felices, Brunum referendum esse putamus. Certe id ipse voluit, scribit enim^m:

- - - *Inspirato mihi vero vnde elementa
Vt sophiae species longum suppressa per acuum
Emicet atque aegras vultu reuocata sereno
Soleatur mentes errorumque excruciantes
Discutiat nebular.*

Quem philosophiae scopum si recte attigisset Brunus, gloria illi primum restituae philosophiae eclecticae omnino esset tribuenda. Verum enim vero obstabant infelici philosopho iudicii paupertas, imaginationis lasciuia, et ineptus mos confarcinandi veterum hypothefes, vt nouam philosophiam effingeret, quae inde monstrum magis, quam aptum et rationale systema prodit. Nempe systemate atomistico veterum, potissimum scholae Italicae, cum systemate emanatiuo coniuncto, vsurus, cum videret Pythagoreos vtrumque etiam sequi, et nouum tamen dare vellet, eiusmodi *Φιλοσοφούμενα* dedit, quae, dum noua affectat, partim obscura, incerta et nihil significantia sunt, partim intolerabilia, absurda, et si verum dicendum, interdum impia: quamquam iniuriam Bruno facere eos, ex dicendis, patebit, qui Spinozismi eum reum faciunt.

*Scripta
Bruni.*

§. XIV. Scripsit plurima Brunus, quem extemporalis facultate scribendi fuisse vsu modo monuimus. Ipse ad multos libros suos prouocat, quorum tamen haud exigua pars, dubitamus, an lucem viderit? nonnullos enim affectos non perfecisse ex dedicatione libri *de Minimo* intelligitur. Eorum, qui lucem viderunt, nobisque innotuerunt indicem hoc loco dabimus, quoniam sunt rarissimiⁿ. Ita vero, si fides titulorum inscriptionibus, iuxta temporum seriem prodierunt. I. *La cena de le Cineri descritta in cinque dialoghi* clōlōLXXX. II. *De vmbri idea- rum*, Paris LXXXII. III. *Ars Memoriae*, Paris clōlōLXXXII. IV. *Il Candelago Comedia*, Paris clōlōLXXXII. V. *Cantus Circaeus ad memoriae praxin ordinatus*, Paris LXXXIII. VI. *De la causa, principio et vno*, Ven. clōlōLXXXIV. VII. *De l' infinito, vniuerso et mundi*. Ven. clōlōLXXXIV. VIII. Eodem anno proditisse apud Parisios dicitur: *Spacio della bestia triomfante*. VIII. *Cabala del cavallo Pegaseo con l'aggiunte*

1) ARIST. Phys. L. III. c. 4. PLVT. de Plac. phil. L. II. c. 9.

m) De Inuent. minimi c. 1. p. 97.
n) Conf. Cl. VOGT. Cat. Libr. rar. p. 139.

aggiunte dell' asino Cillenico, Par. clōlōlxxxv. IX. De gli heroici furori, Par. clōlōlxxxv. X. De progressu et lampade venatoria logicorum, clōlōlxxxvii. XI. Acrotismus, siue rationes articulorum physicorum aduersus Aristotelicos, Witteb. clōlōlxxxviii. XII. Oratio valedictoria habita ad amplissimos et clarissimos professores atque auditores in academia Wittebergenfi anno clōlōlxxxviii. XIII. De specierum scrutinio et lampade combinatoria R. Lulli, Prag. clōlōlxxxviii, recusa Argentorati clōlōcl. cum Lullii operibus. XIV. Oratio consolatoria habita in illustri celeberrimaque academia Iulia in fine solennissimarum exequiarum illustrissimi et potentissimi principis Iulii, Ducis Brunsvicensium i. Iulii clōlōlxxxix. Helmstadii. XV. De triplici minimo et mensura, Francofurti clōlōxc. XVI. De Monade numero et figura, consequens quinque de minimo, magno et mensura, item de innumerabilibus, immenso et infigurabili, seu de vniuerso et mundis libri octo, Francofurti clōlōxc. libris constat duobus diuersis, sed vna paginarum serie continuatis ° XVII. De imaginum, signorum et idearum compositione, Francof. clōlōxc. XVIII. Summa terminorum metaphysicorum ad capessendum logicae et philosophiae studium ex Iordani Brunii Nolani entis descensu MSc. excerpta, nunc primum luci commissa a RAPHAELE EGLINO, Iconio Tigurino, Tig. clōlōxcv. Prodiit hic libellus ex praelectionibus Brunii Wittebergae clōlōlxxxvii. habitis XIX. Artificium perorandi, edente ALSTEDIO, Francof. clōlōcxii. Haec Brunii scripta nobis innotuerunt, quorundam copiam fecit vel HEVMANNVS, qui et rariorum recensioem exhibuit. Ipse Brunus librorum suos laudat, de sigillo sigillorum °, de imaginibus, de principiis rerum, de sphaera, de physica magia, et his similes, forte nunquam editos, sed aut cogitationibus tantum destinatos, aut affectos. Non sine attentione autem hoc loco dimittendum est, annos editionum interdum sublesta fidei esse, immo nec locum editionis verum semper exprimi. Namque Coenam cinerum editionis anni clōlōlxxx frustra in catalogis praestantissimarum bibliothecarum se quaesivisse notat doctissimus VOGTIVS ° et NIC. FRANC. HAYM in Notitia librorum rariorum Italica lingua scriptorum, Parisiensem anni clōlōlxxxiv nominat: ex quo, si addatur, quod supra monuimus, ante annum clōlōlxxxiv ex Italia Brunum non discessisse, concludimus, aut falsum esse titulum libri, aut VERDIERIVM °, a quo accepit P. BAYLE in eo designando erravisse. CL. BAYERVS °, autem obseruavit, non Parisiis sed Londini videri lucem adspexisse; vnde conuicimus, ad euitandam patriae suae inuidiam, qua circa annum clōlōlxxx et sequentes valde premebatur Brunus, Parisienses editiones nomen ementitas in Italia produisse.

§. XV.

o) Extare etiam Italico sermone discimus ex relatione P. BAYLE I, c. not. D.

p) Vid. NICERON, I, c.

q) loco citato.

r) In Bibl. Gallic.

s) Mem. Lib. rar. p. 219.

*Philosophiam
Bruni deline-
are difficilli-
mum.*

§. XV. Restat vt de noua, quam meditatus est Brunus, philosophia narrationem instituto nostro conuenienter exhibeamus, et quid ex veteribus selectum suum fecerit quid nouum addiderit, ac qua ratione cuncta in systemate aliquo connexa atque concatenata exposuerit, dicamus. At, vt verum fateamur, aqua heic nobis haeret, nec hanc tractationis nostrae partem ita absoluendi nobis copia est, qualem vel in aliis habuimus, vel in argumento curioso exoptamus, vt Lectori ex asse fiat satis. Id quod non negligentiae nostrae tribuatur, rogamus, sed caussis duabus, quae obstitere, quo minus hoc quoque loco historici pleni et perfecti defungeremur officio. Nempe ita obscura sunt philosophumena Brunii, et tantopere tum verbis obsoletis, infuetaque atque confusa partium orationis constructione abscondita, tum notionum ipsarum vagarum, incertarum et praecisionibus mentis quidem formatarum, at ineptis et tenebrosis imaginibus depictarum insolentia, numerique poetici nox tanta, vt nostra quidem mentis oculorumque acies; licet omnem contentionem adhibeat, non satis perspiciat, qua ratione totum eius systema cohaereat, suisque membris connexum sustentetur. Neque dubitamus affirmare, Brunum, ingenio extra orbitam vagante ductum, ipsum cohaerentis doctrinae aedificium sibi non exstruxisse, et frustraneam esse omnem diligentiam, quae lucem tenebris Cimmeriis Brunii inferre satagit. Quam certe ignorantiam nostram fateri non erubescimus; scilicet:

*Nescire velle, quae magister pessimus
Docere non vult, docta inscitia est.*

Deinde libros Brunii rarissimos, praesertim physicos et metaphysicos ipsos euoluendi nobis occasio defuit, qui ex vno libro *de Minimo* discere potuimus, qualis philosophus nobis Brunus sit habendus. Reliqua viris doctis BAYLIO, CROSAEO, HEYMANNO debemus, quorum fide placita eius cognouimus. Ita vero officio, prout decet, defungi nostro non licebat, qui nostris videre oculis cupimus, vbi de integro philosophi alicuius systemate iudicandum est. Itaque malumus paginas nostras imperfectas hoc loco esse, quam incerta narratione Lectorem naso suspenso deducere. Verum ne nos molestiam laborisque taedium defugisse videamur, et nihil habeat lector, vnde Brunii philosophiam intelligat, primo quidem ea philosophi paradoxii philosophumena describemus, quae iterata et attenta lectione libri difficillimi *de Minimo*, obseruauimus: tum adiciemus ea, quae laudatissimorum virorum triga notauit, et quid nobis de philosophia Brunii iudicandum videatur, modeste tandem exponemus.

*Bruni placita
ex libro de
Minimo.*

§. XVI. Liber *de Minimo*, geometricus, physicus et metaphysicus est; vbique enim notiones geometricas, physicas et metaphysicas miscuit, quod non potuit non totam tractationem, vt reliqua taceamus supra tacta, reddere incertam, fluctuantem atque atra nocte obscuriorem.

Est

Est autem minimum auctori et obiectum numeri et magnitudinis, et omnium elementatorum adeoque et geometricam atque arithmetica, et physica rerum omnium substantiam constituit. Hoc enim primum eius principium metaphysicum, physicum, mathematicum est:

- - - - minimum substantia rerum est,
 Atque id idem tandem opperiet super omnia magnum.
 Hinc monas hinc atomus, totusque hinc undique fusus
 Spiritus, in nulla consistens mole suisque
 Omnia constituens signis, essentia tota,
 Si res inspicias, hoc tandem est, materiesque;
 Quandoquidem minimum sic integrat omnia, ut ipsum
 Ni substernatur, reliquorum non fiet hilum.
 Esso nulla monas, numerorum non erit ullus:
 Namque ea constituit species, statuens genus omne.
 Quo circa in cunctis primum est fundamen, ut unde
 Et Deus, et natura parens, atque explicat alie
 Quod super omne genus perstat, quod et in genere omni est etc.

Verbo minimum est, substantia prima ex quo omnia oriuntur, componunturque, et in quod omnia tandem resoluuntur, adeoque

- - - - ipsum sunt omnia tandem
 Ut monas est omnis numerus.

Nempe magna diligentia probare contendit Brunus, continuum in infinitum diuisibile non esse, magnisque machinis Peripateticos refutat, quo iure, quae iniuria? alibi dicendum. Ex hac generalissima idea minimi axiomata geometrica quamplurima deducit, hoc loco, ubi alia agimus, non describenda, licet satis singularia sint et *παράδοξα*. Dabimus tamen breuem totius de *Minimo* contemplationis *συνοψήσιν*, ut de genio Bruni metaphysico Lectori paulo plura constent. Nempe 1) maximum est minimum multiplicatum. 2) Tolle minimum, et deerit maximum. 3) Naturae et artis subiectum est a minimo, et consistit in minimo. 4) Minimum est potentissimum. 5) Claudit omnem monadum et numerorum magnitudinem. 6) Minimum componit, auget, format. 7) Minimo opposita sunt omnia. 8) Minimum omnia promit, 9) minimum omnia terminat, 10) vitam defert, 11) diffeminat omnia; 12) est intimum inferiorum; 13) est omnia, 14) ubique est praesens et semper; 15) ex minimo potest cognosci maximum. 16) Ratio citius potest deuenire ad minimum, quam ad maximum. 17) Minimi non est pars. 18) Minimum si tangit, toto se tangit. 19) Minimum suo fine plura potest attingere minima. 20) Minimum attingit sibi aequale. 21) Minimo non datur minus. 22) Minimum est, quod ita est pars, ut eius nulla sit pars vel simpliciter, vel secundum species. 23) Minimum est quantum, et efficit quantum. 24) Minimum reale infra minimum

Hist. philos. T. V.

F

fenfile

fenfile subfidet. 25) Minimum realem nullam scientiam definit. 26) Minimum qua minimum, est indifferens. 27) Minimi tot sunt genera, quot sunt species. 28) Minimum est vnibile, 29) insolubile; 30) non patitur se penetrari, 31) non miscetur, 32) est tantum attingibile; 33) facit, vt corpora sint solida; 34) attingit minimum, 35) est rotundum, 36) minimi propria vna semper figura. 37) Minimo tantum minus vacuum. 38) In minimo dimensio est originaliter indifferens. 39) Minimum cum maximo habet vnam figuram. 40) Minimum habet minimam termini partem. 41) Minimum est inalterabile. 42) Minimum est sex punctis attingibile. 43) In minimo maxima curuitas. 44) Minimum est omnium mensura. 45) Circulus est typus minimi. 46) Minimo minimum non est maius. 47) Minimum est finibile datis punctis minimi. etc. En araneorum tela, quibus maxima subtilitate nectendis instruendisque ita insudat auctor, cuncta, velut membra disiecta dissocians, vt patientia et attentione incredibile opus fit, si quis colligere omnia et fociare cupiat. His autem, quae ad euertendas quasdam geometrarum regulas in fine libri applicat, multa physica et metaphysica porro immiscet, ex quibus, vt genium hominis intelligat lector, sequentes assertiones excerpimus:

I. Splendentia fidera, veri mundi sunt *¶*.

II. Noui telluris facies fulgens est, vere sanctum et venerabile fidus.

III. Mens super omnia Deus est, mens insita omnibus natura; mens omnia peruens ratio.

IV. Deus dicitur, et ordinat: natura exequitur atque facit, ratio contemplatur et discurrit.

V. Deus est monas omnium numerorum fons, simplicitas omnis magnitudinis et compositionis substantia, et excellentia supra omne momentum; innumerabile, immensum.

VI. Natura est numerus numerabilis, magnitudo mensurabilis, momentum attingibile.

VII. Ratio est numerus numerans, magnitudo mensurans, momentum aestimans.

VIII. Influit Deus per naturam in rationem. Ratio attollitur per naturam in Deum. Deus est amor, efficiens, claritas, lux; natura est amabile, obiectum, ignis et ardor; ratio est amans, subiectum quod a natura accenditur, et a Deo illuminatur.

IX. Sensus est oculus in carcere tenebrarum rerum colores et superficiem veluti per cancellos, et foramina prospiciens: ratio tanquam per fenestram lumen a sole deriuans, et ad solem repercussum, quemadmodum in corpore lunae speculari. Intellectus in aperto, et quasi ex alta specula vndique oculus super omnem particularitatem, turbam et confusionem in vniuerso, et distinctione specierum ipsum praeferentem solem speculari.

X. Ra-

X. Ratio se facile in mentem attolleret, nisi variorum affectuum in oceano fluctuans distraheretur: quando natura comparatum est, ut diuersis animae facultatibus ad totidem opera et effectus variis operationibus et actibus accingatur et expediatur.

XI. Ad certum felicitatis genus non debemus sapere, plusquam oportet; ad felicitatem vero simpliciter, cum scire sit de genere bonorum, non plus actui debet esse praescriptus modus, quam a natura atque Deo praescriptus est ei, quam nullam frustra voluit esse, potentiae.

XII. Qui philosophari concupiscit, de omnibus principio dubitans, non prius de altera contradictionis parte definiat, quam altercantes audierit, et rationibus bene perspectis atque collatis, non ex auditu, fama, multitudine, longaeuitate, titulis et ornatu: sed de constantis sibi atque rebus doctrinae vigore sed de rationis lumine, veritate inconspicua, iudicet et definiat.

XIII. Non plus sapientiae et bonitati, quam ignorantiae et iniquitati voces atque verba subministrant. Horum simplicitate veritas et doctrina, quorum ornatu inertia gaudet et astutia, et quorum varietate cum quadam mercenaria sollicitudine vanitas insolefcit.

XIV. Nihil variat rerum substantia; nempe immortalis est, nec gignitur, nec corrumpitur; sed gignuntur ex ea omnia et soluuntur in ipsam; ex ea augentur crescentia, et in eam deficient.

XV. Minimum est substantia rerum, quatenus videlicet aliud a quantitatis genere significatur; corporearum vero magnitudinum, prout est quantitatis principium. Est, inquam materia, seu elementum efficiens, finis, et totum, punctum in magnitudine vnius et duarum dimensionum. Atomus priuatiue in corporibus, quae sunt primae partes, atomum negatiue in iisce quae sunt tota in toto atque singulis, ut in voce, anima, et huiusmodi genus; monas rationaliter in numeris, essentialiter in omnibus.

XVI. Optimus Maximus est substantiarum substantia, et entitas qua entia sunt, ideoque monadis nomine celebratur.

XVII. Vacuum simpliciter cum atomis non sufficit, certam quippe oportet esse materiam qua glutinentur.

XVIII. Numerus est accidens monadis, et monas est essentia numeri: sic compositio accidit atomo, et atomus est essentia compositi.

XIX. Semper fuit materia, nec hodie corpus est, quod heri fuit.

XX. Corpus itaque hominis substantia non est, nec mors ad corporis substantiam pertinet, multoque minus ad animam.

XXI. Quum rerum substantia minime sit solubilis, mors non est timenda, sed transitus expectandus secundum Pythagoram.

XXII. Compositum nullum substantia vera est.

XXIII. Solum per indiuiduam animae substantiam sumus id quod sumus, quam circum veluti centrum quoddam vbique totum atomorum ex-

F 2

glome-

glomeratio fit et agglomeratio. Vnde per natiuitatem et adolescentiam spiritus architectus expanditur in hanc, qua consistimus, molem, et a corde diffunditur: in quod tandem veluti telae istius stamina complicans, sese recipiat, vt ex eadem, per quam processerat viam, intraueratque portam, recedat demum et egrediatur. Natiuitas ergo est expansio centri, vita consistentia sphaerae, mors contractio in centrum.

XXIV. Pro conditione, qua anima se gessit in vno corpore, ad aliud fortiendum disponitur, inquit Pythagoras, Saduchimi, Origenes et alii e Platonici multi. Itaque non est tanquam fortuita illa sedium mutatio, sicut partium ex quibus corporea moles compaginatur. Quapropter aliae per corpora humana discurrunt, aliae in heroum corpus assumuntur, aliae vero in deteriora deturbantur. Haec illi, qui aeterna omnia quadam reuolutione exagitata intelligunt, praeter vnum.

XXV. Omnia quodammodo circumeunt, et circulum imitantur *.

XXVI. Simpliciter monadum monas vna reperta est, quae multum et magnum complectitur, omneque in ista integranda means, dans entibus esse. Illa Deus est, extans totum, infinitum, verum, omne, bonum vnum.

XXVII. Quae in composito, discreto sensibilibique consistunt, sunt aliud atque aliud, et semper fluunt.

XXVIII. Deus est monadum monas, nempe entium entitas.

XXIX. Quod vnum non est, nihil est.

XXX. In minimo, simplici, monade opposita omnia sunt idem, par et impar, multa et pauca, finita et infinita.

XXXI. Id ostenditur in Deo, qui idem dicitur vbique et nusquam, infra omnia fundans, super omnia gubernans, intra omnia non inclusus, extra omnia non exclusus, omnia per excellentiam et comprehensionem, nihil per definitionem, principium omnia promens, finis omnia terminans: medium nectens et discriminans omnia, centrum vbique, intimum interiorum, extremum nusquam, quia metitur et concludit omnia, immensus et inexaequabilis ipse, in quo sunt omnia, et qui in nullo neque in se ipso, quia indiuiduus et simplicitas ipsa, sed est ipse.

XXXII. Maximus et velocissimus motus et simpliciter tardus seu maxima quies, vnum atque idem sunt. Hinc diuina sapientia, quae attingit omnia, et est in omnibus, dicta est mobilissima omnium, quia vbique manet, et immobilissima, quia ocissime attingit a fine vsque ad finem, et disponit omnia inter suos vbique terminos: tribuitur illi motus, quia est vegetatio et vita, cuius virtute omnia mouentur. Tribuitur illi quies, quia est ipsa aeternitas, et substantia in qua et per quam omnia sunt et manent.

XXXIII. In inquirenda veritate ratio atque finis quam maxime attendenda, et gradibus atque ordine certo opus est, ita vt primum fundamenta falsi prima tollantur, et tum demum ad speculationem, et ab ea ad praxin est progrediendum *.

XXXIV.

* De Exist. Minimi. c. 4

*) c. 5.

XXXIV. Materia finita quantacunque obiecta partibus constat non infinitis, cui apponendo magnitudinem sicut et numero finito multitudinem, infinitum percurrere licet. E contra vero a finita magnitudine partes adimenti et subdiuidenti minimum sicut a finito numero numerum subtrahenti monadem tandem occurrere neceffe est.

XXXV. Tota duratio est infinitum instans, idem, principium et finis.

XXXVI. Tellus non magis est in medio, quam luna, sol, polus et omnia. In quam contemplationem deuenire non potuerunt, quibus eius motum circa proprium centrum non percepisse licuit.

XXXVII. Principium et fundamentum errorum omnium tum in physica, tum in mathesi est resolutio continui in infinitum.

XXXVIII. Proprie indiuiduum dicitur esse vbique, et quia spacium est infinitum, centrum dicitur esse vbique, atomum dicitur esse omnia.

XXXIX. Minimum indefinitum est, at non infinita eius subordinatione opus est, non confundendum autem minimum artis, cum minimo naturae^z.

XL. Minimum naturae a minimo sensus distinguendum est, hoc enim quasdam qualitates habet, quibus ad sensum habet analogiam, quae nonnisi a compositione dimanabunt: minima quippe iuxta primam formam, qua minimum et corpora sunt indifferentia habentur omnia, quod vero subinde eorum haec quidem sunt sensibilia, illa vero non, oportet quadam adiectione fieri, ac non est credibile, vllam huiuscemodi qualitatem super prima materia immediate fundari^a.

XLI. Propterea principia materialia sunt distincta.

XLII. Post ipsum, quem per istius corporis contubernium incurrit, solis occasum a minimo et monade ad magnum et multum indeque ad innumerabile et immensum apprehendendum anima definito proficiscitur ordine atque regreditur: quemadmodum ab Hespero singulariter viso ad multitudinem, vt inde a multitudine per innumerabilitatem stellarum iterum repetendam ad exorientis solis praeuium phosphorum singulariter vltimo visum reflexo peruenire valet actu, vt hac ipsa via minime profundioribus tenebris cum infelicitum spirituum multitudine submersa, adque exoptatissimae diei monadis adspectum promotam beatifici tum demum solis pleniori lumine perfundantur^b.

XLIII. Bonum et malum, iocundum et molestum, pulchrum atque turpe nihil est simpliciter et absolute, sed horum quaedam ad varias collata species et indiuidua eadem eodem se habentia modo subiecta contrarias a sensibus nanciscuntur denominationes, sicut et reuera contrarios inducunt affectus; nempe talia relatiua sunt^c.

XLIV. Philosophia vt didicit a particularibus abstrahere, et rerum naturam atque conditionem ad absolutum, quantum possibile est, deducere iudicium, aliter vtile et bonum simpliciter, aliter vtile et bonum ad speciem humanam contractum definiat oportet.

F 3

XLV.

z) c. 6.

a) c. 9.

b) Contempl. ex min. c. 12, p. 55.

c) c. 2.

XLV. Extra et ultra propositum sensuum et sensibilibum non egredientibus definiendum videtur, nihil esse absolute, quod ad unam vel alteram contradictionis partem verius referatur ^d:

XLVI. Non vltus est, qui fallat fallaturae sensus, quandoquidem semper de proprio obiecto pro suo modulo, qui propria, vera et vnica est mensura, diiudicat.

XLVII. Sensibilia vera sunt, non iuxta communem aliquam et vniuersalem mensuram, sed iuxta homogeneam, particularem, propriam, mutabilem atque variabilem mensuram.

XLVIII. Naturalia omnia continue alterantur, trepidant, mouentur, exagitantur ^e.

XLIX. Non est possibile in specie vlla duo omnino concordantia vel aequalia indiuidua comperire, non solum pro habitudine ad alia, sed vel etiam absolute in physica potentia, ratio ex effluxu influxuque atomorum continuo deriuanda ^f.

L. Praeter atomos nihil simpliciter plenum, nihil simpliciter vacuum praeter spatium intra coeuntium trium in plano, et quatuor in solido atomorum concursus intermedians ^g.

LI. Quaecumque fiunt, mutantur lapsaque ruunt continue aliud ad aliud, non entia sunt ^h.

LII. Anima habet naturam atomam; ea vero substantialiter accepta, denotat daemonem seu animam quae est in toto corpore, vel etiam in toto vitae telluris horizonte, cuius vita viuimus, et in cuius esse fumus: tum actu quodam communi quo in tota sphaera viuimus: tum proprio quo viuimus in horizonte seu semisphaerico, vnde cultus attactusque magicos fieri inuenimus, qui ad longius absentes, etiam defunctos et a recenter defunctis, quorum scilicet non fuerint incinerata cadauera, demanant, quandoquidem anima vbique suam corporis agnoscit materiam: Tum actu quodam magis proprio, quo viuimus, in hoc organizato corpore ad nos ipsos illius quamuis auulla parte pertinente, et sub nostrae animae moderamine constituta. Tum demum actu propriissimo iuxta eam conditionem, qua ab oceano substantiae spiritualis per cordis portam et ad eundem oceanum per eandem portam ingredimur et egredimur animi.

LIII. Nulla species atomorum est corruptibilis vel mortalis, vel generabilis; sed quaedam sunt accidentia certa; et cum sunt, non sunt per compositionem intrinsecam; et cum non sunt, id est, quando non sunt in aliquo subiecto velut pars; accidentaliter non sunt. Quedam vero proprie intrinsecaque natura aeterna, immortalia, incomponibilia, indissolubilia; nempe animae, Dii, Deus.

LIV. Circulo quadratum, aequare impossibile ⁱ.

LV. Certa essentia rerum est, et numerus; velut est hoc, heic, nunc. Dein

d) c. 3. e) c. 4. f) c. 5. g) c. 4. h) c. 6. i) c. 8.

Dein super omne est infinitum verum ens, vnum, bonum, atque monas rerum cunctarum essentia ^k.

LVI. Infinitum vere est proprieque globosum ^l.

LVII. Influxus nullus est, ex iis, quos ingens distantia ab orbe subiecto diremit.

LVIII. Nihil in vniuerso adeo est exiguum, quod ad eximii integritatem atque perfectionem non conducatur ^m.

LIX. Nihil item malum est quibusdam et alicubi, quod et quibusdam et alibi non sit bonum et optimum.

LX. Hinc ad vniuersum respicienti nihil occurret turpe, malum, incongruum: neque enim varietas atque contrarietas efficit, quo minus omnia sint optima, prout videlicet a natura gubernantur; quae velut phonascus contrarias voces extremas atque medias ad vnam optimam symphoniam dirigit et perducit.

Haec potiora sunt, quae ex tenebrosa Bruni sylua in lucidiorem paulo campum producere visum est, vt constaret, quo pacto et metaphysice, et physice, et mathematice Brunus philosophari soleat. Quamquam enim pleraque quae in hoc libro *de Minimo* occurrunt, geometrica sunt, metaphysica tamen et physica vbique miscuit. Et in metaphysicis quidem nouam subtilitatem quaerit, vt nouam philosophiam condat. Quid enim subtilius, quam minimum distinguere ab atomo? Ast id supponit vbique Brunus, prodens minimum sibi notionem esse metaphysicam, atomum physicam, quod ex eius definitionibus patet. Nam

Est minimum, cuius pars nulla est, prima quod est pars ⁿ;

Est atomus minimum longum latum atque profundum

Corporis et potis est pars esse ac terminus ipsa.

Quae duo nisi distinguantur Brunus intelligi non potest. In physicis autem scholae Italicae amore raptus noua vbique molitur, et dum veritates quasdam physicas in ea deprehendit, v. c. terram moueri circa solem; planetas esse mundos habitabiles, etiam totum systema theologicum recipit, vt in sequentibus dicemus. Et haec quidem ab ipsius Bruniani libri lectione suppeditata sunt. Iam viri quoque docti audiendi sunt, qui alios Bruni libros legerunt, et placita eius ex illis designauerunt, vt quantum-pote Bruni philosophiam intelligamus, eiusque pernoscamus faciem.

§. XVII. Diligenter euoluit Bruni libros desideratissimus L. A. CRO-
ZE ^o, qui cum demonstrare vellet, Spinozisticum systema placuisse Bru-
no, ex libro *de Immenso et innumerabilibus* has eius assertiones excer-
psit, vt nigrum iis theta praefigeret:

I. Diui-

k) c. 14.

l) De Inuent. mín. c. 2.

m) De Princip. mens. et fig. c. 1.

n) p. 145.

o) loc. cit.

*Bruni cogita-
ta ex libris
de immenso.*

I. Diuina essentia est infinita ^p.

II. Modum essendi modus possendi sequitur.

III. Modum possendi consequitur operandi modus.

IV. Deus est simplicissima essentia, in qua nulla compositio potest esse, vel diuersitas intrinsece.

V. Consequenter in eodem idem est esse, posse, agere, velle, essentia, potentia, actio, voluntas, et quicquid de eo vere dici potest, quia ipse ipsa est veritas.

VI. Consequenter Dei voluntas est super omnia, ideoque frustrari non potest, neque per se ipsam neque per aliud.

VII. Consequenter voluntas diuina est non modo necessaria, sed etiam est ipsa necessitas, cuius oppositum non est impossibile modo, sed etiam ipsa impossibilitas.

VIII. In simplici essentia non potest esse contrarietas vlllo modo, neque inaequalitas: voluntas, inquam, non est contraria set inaequalis potentiae.

IX. Necessitas et libertas sunt vnum, vnde non est formidandum, quod cum agat necessitate naturae, non libere agat, sed potius, immo omnino, non libere ageret, aliter agendo, quam necessitas et natura immo naturae necessitas requirit.

X. Potentia infinita non est, nisi sit possibile infinitum: non est inquam potens, facere infinitum, nisi sit potens fieri; quae enim impossibilis vel ad impossibile potest esse potentia?

XI. Sicut est mundus in hoc spatio, ita et potest esse in simili spatio isti spatio, quod, hoc mundo ablato, possumus aequale huic mundo remanens intelligere.

XII. Huic spatio, in quo est mundus, simile spatio extra mundum non est ratio, quae tollat, neque faciat esse finitum.

XIII. Mundus in simili spatio extra istud non esset huic mundo impedimento, neque maior ratio esset, qua hic formidet ruere illum, quam ille istum, quandoquidem vbique medium est in infinito secundum rei veritatem, sursum vero atque deorsum secundum certam eorum, quae sunt in vno vniuscuiusque ordine habitudinem.

XIV. Melius est esse, quam non esse, dignius est facere, quod est bonum, quam non facere. Ponere ens et verum improporcionabiliter melius est, quam finire non ens, et nihil.

XV. Potentia et voluntas naturalis frustrari non debet, et ad infinitam durationem spatum esse sine proprio actu; tum enim potentia ad impossibile referretur.

XVI. Potentiam infinitam, extensiuam sit, siue intensiuam, ad esse frustrari est, sic actu malum infinitum poni sicut et actu est spatum infinitum.

XVII. Sicut hoc spatum potest recipere hunc mundum et ornari, ita et simile

simile quodcunque spatium ab ipso indifferens, simili non absente principio, similem concepisse.

XVIII. Ornamentum istius spatii huiusque mundi perfectio nihil est, quod addat vel subtrahat vel sufficientiae, vel indigentiae praestet ornamento atque perfectioni alius cuiuscunque spatii, quominus non ita actuari exigat illud, quam actuatum rerum plenitudine fit istud.

XIX. De Deo et de natura, quam optime sentiendum.

XX. De rebus maximis nihil temere citra sensum atque rationem defendendum. Haec pro systematis sui mundani existentia metaphysice ratiocinatur Bruno; recte an secus? nostrum in praesentia non est discutere, qui eius hypotheses et *Φιλοσοφούμενα* tantum enarramus. Paralogismos eius, qui non intelliget, ei ductorem doctoremque commendamus Crofaeum, qui eos probe detexit. Ast is alia porro et *παραδοξώτερα* ex Bruni scriptis excerpfit; quae, ne reticeamus, quantum nobis innotuit, Brunianae philosophiae aliquid, hic quoque apponemus.

XXI. Atomis solis non constant elementa, inde relinquendus Democritus, iisque adiungenda mens diuina moderans cuncta ⁷.

XXII. Haec mens subiectis insita rebus numeris omnia secundum gradus conflat.

XXIII. Bonum verum et perfectum dicitur vnum immixtum, simplex, abstractum, immobile per se ⁸.

XXIV. Lux supra, non est lux sine corpore, id est umbra sine fundamento, et verbum sine significato, sed lux quae spatium habet, quae ubique tota, quae immobilis, quae denique Deus est.

XXV. Vultum hunc rerum decet esse perennem rerum ad naturam spectantibus et genituram ⁹.

XXVI. Mundus est aeternus; et semper fuit, et est, et non potest esse aliter ¹⁰.

§. XVIII. Porro legit librum Bruni *de Causa, Principio et Vno* Italica lingua scriptum, et has ex eo assertiones selegit P. BAYLE ¹¹:

I. Ens, quod reuera existit, non nisi vnum esse potest, idque infinitum, immobile, indiuisibile, sine discrimine totius et partis, principii et principiati.

II. Extensio infinita reducitur necessario ad indiuiduum, vt numerus infinitus ad vnitatem reuocatur.

III. Forma substantialis nunquam perit, differunt enim forma et materia, vt potentia et actus. Ex quo sequitur, vniuersum non nisi esse vnum.

IV. Inde

q) De Immenso p. 467.

r) De Max. p. 251.

s) De Vniu. p. 532.

ff) lb. p. 494. 546.

t) loc. cit.

IV. Inde porro concluditur, materiam spirituum a materia corporum nihil prorsus differre.

V. Recte itaque statuit Dauid de Dinanto: materiam esse substantiam diuinam.

VI. Causa efficiens et causa formalis vniuntur in vno subiecto, quod est anima mundi.

VII. Differt tamen causa formalis generalis, quae vna modo est, a causis formalibus particularibus, quae in infinitum multiplicantur.

VIII. His rite perpenfis felicitas humanae vitae sublato inani mortis terrore, confirmatur, et Acherontis metus tollitur, quo solent corrumpi vitae humanae deliciae.

Haec Baylius, quem dolemus haud plura ex isto libro descripsisse, in quo clarius mentem suam de origine naturae substantiarum detexisse videtur. Incerti enim haeremus, vtrum Baylius praeiudicio Spinozismi vbique inueniendi occupatus recte in omnibus Bruni mentem exposuerit, cum sint in aliis eius scriptis nonnulla, quae aliter statuiffe Brunum, quam Spinozam clarissime euincant.

*Bruni Philo-
sophi
excerpta ab
Heumanno.*

§. XIX. Tandem Cl. HEUMANNVS * quoque haud pauca notauit Bruniana dogmata, quae vero physica magis sunt quam metaphysica. Dabimus etiam eorum hoc loco indicem.

I. Natura vniuerso configurando distinguit naturalibus figuris, virtutes proprietates, ipsaque omnium in eorum superficie nomina depingit, sculpit et intexit.

II. Dantur magi, qui mutatis nominibus numeros quoque mutant, et hoc pacto ipsum rerum statum.

III. Interfectionibus circulorum magna et occulta hominum sensibus virtus est.

IV. Accurata inter numeros et figuras analogia intercedit.

V. Vnitatis natura a centro ad circumferentiam remigrat, et ad centrum a circumferentia migrat, ita vero dat temperiem compositis, sanitatem corporibus, animis virtutem.

VI. Vnitas est rerum cunctarum essentia tota; dyas origo boni atque mali, id est, contrariorum.

VII. Habet homo duas animas, appetitum sensituum siue animale, et intellectuum siue rationale, hi duo eius daemones sunt.

VIII. Tres sunt partes hominis, corpus, anima et spiritus, qui est vehiculum quod inter animam atque corpus mediat.

IX. Metalla mutare in perfectiora, possibile.

X. Grauitas et leuitas corporum oritur ex anima mundi.

XI. Mun-

n) Id aut perperam accepit Baylius, aut ita intelligendum est, ratione fontis et originis eadem esse spiritum et materiam. Alias enim e diametro

contraria ponebat Brünus spiritum et materiam, vid. de Minimi Exist. c. 4. v. 18. seqq. p. 14. seqq.

x) Locis citatis.

XI. Mundus, cum fit infinitum vniuersum, figura caret.

XII. Quia vult animae vis, cuncta moueri, corporaque in proprium semper versarier orbem, oritur inde vita.

XIII. Spatium est quantitas continua physica triplici dimensione constans, in qua corporum magnitudo capiatur, natura ante omnia corpora et citra omnia corpora consistens, indifferenter omnia recipiens citra actionis passionisque conditiones immiscibile, impenetrabile, non formabile, illocabile, et extra omnia corpora comprehendens, et incomprehensibiliter intus omnia continens, quo loci munus actuale habente locato nihil potest esse aequalius, a quo ne cogitatione quidem dimensiones locatorum corporum erunt separabiles.

XIV. Deus est essentia simplicissima, ergo in eo idem est posse et esse, itaque quia Deus potest facere mundum infinitum, etiam fecit.

XV. Maculae lunae terram exhibent, lucidae partes maria.

XVI. Singulorum annorum periodo terra circa solem voluitur.

XVII. Lux et calor non nisi in corpore composito esse possunt.

XVIII. Viuunt in sole certae creaturae viuentes, quarum tamen naturam ignoramus: par autem est eas nutriri vt ignem, hae interdum apparent hominibus.

XIX. Solem constituunt et partes et igneae lucidaeque et terrestres atque aquosae, sibi in corpore globofo succedentes.

XX. Et in terra et in aëre viuentes creaturae sunt, corpore subtili vestitae, inde spectra.

XXI. Natura numen est, et haec Deus in rebus credenda et nominanda est.

XXII. Terrae grauitas est ab aqua terram comprimente.

XXIII. Cometa est species telluris mundusque per orbem oblique ad visum hunc speculari corpore latus; raro autem conspicitur, quia eius circulus non venit ad eam oculorum nostrorum et solis oppositionem, vt speculare reddat lucem, nisi raro, quando scilicet ita deuenerit vtrumque astrum, vt splendor ille excitatus in corpore astri habeat ad oculos nostros reflexionem.

§. XX. Haec singularia et memoratu digniora laudatis viris doctis ex Bruni *Φιλοσοφούμενοι* visa sunt, quae quoque tot iudiciis et conuiciis *Fundamentum philosophiae Brunii.* lacessita famae Brunii haud parum obsuerunt. Dolendum autem Brunum, hominem nullo accurato ordine philosophantem ideam systematis sui physici et metaphysici (terminologiam metaphysicam quam edidit excipimus, quae mere Scholastica et Aristotelica est) nullam dedisse, vnde difficillimus labor est, de vero et genuino sensu eius sententiam ferre. Inde vero factum, vt quod vni atheum, impium, blasphemum, non ferendum visum, alteri videretur facile ferendum et ingenio Brunii *ἑτεροκλίτω*, absurdus et ineptius loquenti quam statuenti condonandum; quodque qui ab

illis Spinozifmi accusatur, ab his ab ista labe abfoluatur, et is inter martyres connumeretur. Nos de impietate Bruni in fequentibus dicemus: quod ad ipsum eius systema attinet, non diffitemur quidem, non satis de eius vero et genuino sensu nos ex iis certos esse, quae nobis de placitis Bruni innotuerunt, ita vt accuratum de eo iudicium dari possit. Nec negamus, ex iis, quae ex libro *de Immenso* excerptit CROSAEVS, et quae ex libro *de Vno, Causa et Principio* retulit P. BAYLE, Spinozificum sensum emergere posse. Ast vnam tantum substantiam sensu Spinozifico statuiffe Brunum, dicta nos non conuincunt, licet ens vnum tantum, immobile, reuera existens statuat. Haec enim si cum iis comparentur, quae alibi dixit, patet ex eo, Brunum non Spinozificum sed emanatum systema fecutum esse; secundum quod ex vno immenso et infinito fonte mediante principiato aliquo effluerunt et ab aeterno orta sunt euncta, adeoque ita inesse et existere suo, quod dicunt, ab eo dependent, vt quicquid sunt et existunt, ex illo fonte habeant. Haec innumeris philosophis olim deamata si Bruno tribuimus, tota eius metaphysica recte cohaeret: et verisimillimum est, Brunum, admiratione scholae Pythagoricae, praecipue Semipythagoreorum, et Eleaticorum, quos comitius de rebus naturalibus differere, quam Stagiritam, censebat, seductum, eorum principia physica et metaphysica recepisse, et Democriti atque Epicuri, et ex recentioribus Copernici cothurnis miro connubio adaptauisse. Quod ne sine teste dixisse videamur, en luculentum Bruni locum, in quo manifesta enarratione systematis metaphysici obscurissimis meditationibus suis, de vno, ente infinito, anima mundi, effluxu et refluxu ad vnum, deque minimis in immensis lucem egregiam affudit. Ita nempe differit: *Vniuersum Xenophani metaphysico vnicum, absolutum. Parmenidi eius discipulo a diuinitate ad naturam et a natura ad naturalia descendenti, rursusque a naturalibus per naturam in diuinam speculationem contendenti, triplex definitur, in effectu, typo, archetypo, seu materialiter, formaliter, efficienter, vel explicatim, complicatim, summatim. Nempe in numero, in ordine, in monade, scilicet per singula, per omnia, per totum. Vbi primo modo est vniuersum subsistenter, secundo consistenter, tertio existenter: primo item mobiliter, secundo stabiliter, tertio immobiliter.* Haec suam quoque esse opinionem haud obscure prodit, ita pergens: *Iuxta rationem primi ad quodlibet aspiciamus, vt sua incommunicabili proprietate distinctum, seorsim, et in se vnum est. Iuxta secundi rationem ad omnia conuertimur, quae AB EODEM PRINCIPIO MANANT, IN EODEM CONSERVANTE PERSEVERANT, ET AD EVNDEM FINEM CONSPIRANT. Iuxta absolutiorem tertii contemplationem experimur, vt particularia omnia ad certas species, omnes subinde species ad subalternata genera, quae tandem ad vnum communissimum generalissimumque esse, ens, idque ad absolutissimam entitatem, veritatem, monadem ascendit. Ibi unitas*

numerorum omnium fons, multitudinem omnem atque varietatem immultiplicabilis et inuariabilis incommunicabiliter et inuariabiliter complectitur. Sic a luce in tenebris et composita ascendimus ad lucem simplicem et absolutam, ut ab illa cognita ad istius iudicium examen atque moderamen descendamus. Vides, Lector, subordinationem principiorum, secundum quam ex vno realiter existente omnia sunt, et existentiam atque veritatem habent, idque mediante natura, id est anima mundi, et in infinita emanata diffluunt, in primum vero ens, vnum totum tandem sublata substantia particulari refunduntur. Quo pacto systema scholae Italicae quoque, et Parmenidem similiter differuisse, ex iis, quae suo loco diximus, constat. His positus nihil est in systemate Bruni metaphysico et physico, quod non cohaereat, licet Spinozae vestigia premere videatur. Nam hac emanatione ex infinito ente, per se existente, et omnibus essentiam et existentiam largiente, posita, sequitur, 1) omnem hunc actum emanationis esse necessarium, et pertinere ad essentiam Dei; 2) infinitas posse et debere constitui emanationes et principiata emanatiua, quae ab eo ente participant, et in quibus illius virtus infinite multiplicetur, et demonstratur, adeoque infinitos esse debere mundos: eo quod melius sit esse, quam non esse, nec cum ente infinito posse stare non ens et nihil. 3) Esse quoque eius emanationis durationem infinitam, immo cum necessitate naturae fiat. 4) Ab aeterno debuisse istas emanationes ex ente vno, siue monade absoluta scaturiuisse, esseque ideo mundos infinitos aeternos. Porro 5) ens reuera, id est, per se existens, non nisi vnum esse, infinitum immobile indiuisibile; si enim plura essent, plures fontes darentur, nec ab vnus illius ente participarent omnia existentia. 6) Immo cum hic fons rebus omnibus ex se essentiam et existentiam largiatur, progredi inde formam substantialem, nec eam posse esse ob vnum fontem multiplicem. His concessis, sequitur quoque 7) Materiam rerum omnium esse substantiam diuinam, quae emanauit ad res singulares constituendas; 8) causam formalem effluxus vnicam applicando ad particularia formas gignere innumeras; 9) quaeque in ente vno siue monade in potentia sunt, per istam emanationem progredi in actum. 10) In his autem omnibus principiatio aliquo mediatore opus esse quod extrema vniat, et influxum ex supremo accipiendum cum inferioribus communicet, hancque naturam esse. 11) Eam autem ob hoc munus, huncque locum et vires, non animae mundi nomen tantummodo tueri, sed et Deam habendam esse, eo quod per eam et ad eam ascendendo tandem ad primum vniuersi fontem reducamur. Sed et reliqua quae Spinozistica videntur, hinc lucem capiunt; nam 12) natura cuncta conglutinans, lux increata, et anima rerum omnium immobilis, actiuaque, siue

Natura subiectis insita rebus

Momentis graduanda suis depromit, et aptis

Ordinibus constans, numeris discriminat alte

G 3

non

non est monas prima, vt vult CROSAEVS ²⁾, sed principiatum illud, quod in loco supra adducto naturam vocauit, et inter diuinitatem atque naturalia medium collocauit. Quo mediante 13) cum particularia omnia existant, moueanturque, et diuino ex fonte participant, patet inde, cur Deus dicatur esse extans totum, infinitum, verum, omne, bonum, vnum, monadam monas etc. Tandem et 14) lux illa, quae spatium habet, vbique tota etc. inde fluit, cum omnes fere systematis emanatiui fautores fontem primum velut infinitam lucis abyssum considerauerint, et ignis scholae Pythagoreae, praecipue Hippasi et aliorum Semipythagoreorum hoc inuoluat. Vnde coniecimus, Brunum Deum et eius emanationes simili fere modo sibi concepisse. Quaecunque autem eius mens fuerit, illud dubio carere putamus; vnum Bruni siue monadem non sensu Spinozistico, sed emanatiuo sumendum esse; aliquoties enim gradationem principiatorum emanatiuorum vsque ad primum principium emanans memorat, inter quae, vt haecenus dicta alio loco illustri claudamus, maxime notabile philosophema expendere iubemus Lectorem, quod supra §. XV. thesi LI. ex libris de *Minimo* attulimus, comparareque cum thesi XLI. hae duae assertiones enim clare innuunt, Brunum ex monade numerum, materiam, spiritus, entia serie emanatiua ita deduxisse, vt spiritualia entitatem largiantur, materia in minima diuisa semper fluctuet fluatque, et ab illis formas imprimendo discernatur formeturque. Haec qui recte intellexerit, reliqua Bruni *παράδοξα* facile mente comprehendet; clauis enim sunt, qua reliqua eius mytheria referari possunt.

*Iudicium de
Philosophia
Bruni.*

§. XXI. Ex his, nisi fallimur, iudicium de philosophia Bruni, quantacunque etiam eius obscuritas sit, fieri potest. Qui enim ea, quae toties de systemate emanatiuo, miro toties habitu vestito, aliquoties deseruimus, mente repetit, facile de Bruniana philosophia iudicabit. Nempe cum simplicitatem diuini doctrinae Brunus sorderet, et ingenio simul vteretur phantastico atque ad imaginationis frena laxanda vehementer prono, difficultatibus, quas systema mundi eiusque ortus atque generatio necere solet, modum positurus, et philosophiam quandam simul excogitaturus, quam Aristoteli opponere posset, ad eiusmodi philosophiam emanatiuam deuenit, qua rerum omnium naturam, existentiam, et quicquid in rebus reale esset, ad causam fontemque vnum referret, rerum autem fluxarum naturam ex minimorum dispositione deriuaret. Quod qua felicitate Brunus executus sit, lectoris iudicio definiendum relinquimus. Nobis id praecipue obseruandum, Brunum in mathematicis et physicis haud infeliciter exercitatum, malo ausu in metaphysicos campos fuisse digressum, et notionum imaginariarum fulcrisque nullis nisi ingenii exorbitantis delirio nixarum praesidio, systemati in se inepto nec satis cohaerenti fundamenta subiecisse, hocque pacto cothurnos haud raro adaptasse focco, iunxisseque equos gryphis. Cum autem Pythagorea cum

²⁾ Act. Phil. Vol. II, p. 796.

cum Democriticis miro Syncretismo confunderet, vel systema magis Semi-pythagoreum cum Epicureo misceret, ipsas autem emanationis leges ineptis numerorum, figurarumque geometricarum notionibus turbaret, mirum non est, systema eius et enthusiasticum atque paradoxum euasisse, et innumeris naeuis atque paralogismis scaterere, et multa exhibere, quae, si verborum obscuritatem, et notionum incertitudinem tollas, plane nihil significant.

§. XXII. Ex his celebris illa quaestio de Bruni atheismo soluenda, *Brunus an
atheus?* quam post alios recentissima aetate erudita et amica disputatione excusserunt, viri praestantissimae doctrinae nobisque amicissimi MATVR. VEISSIERE LA CROZE ^a et CHRISTOPHORVS AVG. HEVMANNVS ^b. Impietatem autem iam viuo Bruno obiectam esse, querelae eius de inimicorum accusationibus, quas toties Lectori occinit, satis produunt. Maxime vero impietatis praetextus feralem Bruno rogum acceleravit. Teste enim Scioppio ^c in sententia de eius capite lata haec ei dogmata atheis et profanis opinionibus detestanda obiiciebantur: *Mundos esse innumerabiles, animam de corpore in corpus, immo et alium in mundum migrare, vnam animam bina corpora informare posse, magiam esse rem bonam et licitam: spiritum S. nihil esse aliud nisi animam mundi, et hoc voluisse Moysen dum scribit, eum fuisse aquas; mundum esse ab aeterno, Moysen miracula sua per magiam operatum esse, in qua plus profecerat, quam reliqui Aegyptii: eum leges suas confinxisse, sacras litteras esse somnium, diabolum saluatum iri, solos Hebraeos ab Adamo et Eva originem ducere, reliquos ab iis duobus, quos Deus pridie fecerat, Christum non esse Deum, sed fuisse magum insignem et hominibus illusisse, ac propterea merito suspensum, (Italice impiccato) non crucifixum esse, prophetas et apostolos fuisse homines nequam, magos et plerosque suspensos.* Haec Scioppius refert, illi crimini data esse a tribunali S. inquisitionis. Scioppio fidem adhibuere Vrsinus alique supra enumerati. CEL. LA CROZE autem ex instituto, recte et non praeter meritum haec ei tribui contendit, eo quod in libris eius eiusmodi impietatis specimina vbique deprehendantur. Idem visum P. BAYLE ^d, IO. FR. BVDDEO ^e, CAR. STEPH. IORDANO ^f, et qui gentis suae censorem apud Britannos egit auctori *Spectatoris* ^g. Hi non blasphemiae tantum et conuictiorum in religionem reuelatam iactorum Brunum accusant, sed es Spinozismum ei sine haesitantia tribuunt, accusato, quod vnam tantum substantiam, infinitis modificationibus distinctam asseruisset. Aliter tamen visum viris doctis aliis, qui licet non negarent, absurda, paradoxa et leuia plurima inter veritates nonnullas egregias Brunum asseruisse, atheismi tamen vestigia se deprehendere non potuisse, constanter asserunt, et magis ingenium Bruni phantasticum et cum ratione insaniens quam atheisticum,

et

a) II. cc.

b) II. cc.

c) In Epist. ad. Rittershuf. laudata.

d) l. c. not. C.

e) Thef. de Atheismo c. 1. §. 24.

f) l. c. §. 5. p. 10. seqq.

g) Tom. IV. disc. XXVII. p. 157.

et impietate in Deum detestabile, accusant. Inter quos praeter SOREL-
LVM^b, MORHOIVM^c, ARNOLDVM^d, plurimum pro excusando
Bruno militavit Cel. HEVMANNVS^e. Nos more nostro vtriusque partis
rationes adducemus, et tum nostram quoque modeste subiungemus ἐπι-
κρίσειν, audiemus autem Cel. Crofaeum, quo nemo vel acutius vel doctius
Brunum atheismi impietatisque profanae conuincere fatiguit. Cuncta huc
redeunt: 1) statuere Brunum, naturam vnam, seu vniuersum vnum esse
Deum. Naturam enim esse illi lucem increatam et aeternam, quae sit
anima omnium rerum immobilis instar vacui, actiua tamen. Hanc esse
monadem, in hac luce infinita omnia esse vnum, vnusque naturae et
Dei nomine appellanda venire, cum ab ea vna vegetentur. Sic in vno
quoque mundorum ex indefinito animarum numero animam vnam ex-
urgere, omnesque mundorum animatorum vnitates in vnam vniuersi
naturam conspirare, et hanc Bruno Deum esse, spiritum omnia replen-
tem, totius ordinatorem. 2) Adamum neque protoplasten fuisse, neque
omnium hominum patrem, sed hunc vnus gentis Iudaicae conditorem
auctoremque esse, praeter hunc reliquis extitisse duos alios. 3) Religio-
nem Christianam fabulam esse rectae rationi contrariam: id euincere,
non libellum modo de *Bestia triumphante*, sed et loca quaedam alia in
eius scriptis, idem prorsus dicere; et vbiuis fere patefcere, quod nun-
quam Christianae religionis mentionem faciat sine aliqua contumeliae aut
contemtionis nota. Traducere quoque false mortis aeternae cruciatus etc.
4) Idem porro de Mosaica ceterisque religionibus esse affirmandum. 5)
Nullam illi esse creationem rerum, immo quicquid in infinitum extat, id
aeternum esse, et necessario existere. Id enim cum connexionem et rela-
tionem necessariam inter causam et effectum, secundum Brunum requi-
rere, qua vel vno momento temporis potentia immensa et infinita sub-
sistere nequiuisset, quin effectum, item infinito et immenso actuaretur: et
a Bruno diserte affirmare, quod rerum series et semper fuerit, et sit, et
non possit esse aliter. 6) Animas hominum reliquorumque animalium e
corporibus in corpora illi migrare. Haec Crofaeus; quae tamen non
omnia atheismum innuunt, sed ex parte profanum tantum et a veritate
religionis Christianae abhorrentem animum produunt. Erudite et specio-
sis argumenti delicati rationibus causam hanc egit vir celeberrimus, non
minori ingenio respondit eruditissimus HEVMANNVS. Is male imponi
Bruno personam hominis astuti et improbi contendit, nec habendum esse
pro ingenioso nequam; sed fuisse, dicit hominem non malum, ingenio
praeditum simplici, et eius sapientiae cuius opinorie inflatum gereret ani-
mum, ostentatorem minime callidum. Ideo non durius interpretanda
videri eius verba, quae nec satis circumspecte scripta sint, nec peruide-
rit

h) De perf. hominis, Pars III. p. 468. Verf.
Germ. Gallica exhibet BAYLE l. c. p. 681.

i) Polyhist. T. I. L. I, c. 8. §. 22. T. II. L. II,
c. 15. p. 260. L. II. P. II, c. 11. §. 5. p. 343.

k) Hist. Eccles. et haeret. Part. II. L. XVII.
c. 16. §. 8.

l) Act. Phil. Vol. II. p. 380.

rit Brunus absurditates omnes, quae ex iis deriuari possint. Id confirmare aniles superstitiones, toties a Bruno defensas. Nec verisimile esse, maluisse eum, si atheus fuisset, in castra Lutheri tantis cum molestiis et periculis transire, quam cum tot atheismi fautoribus in ecclesiae Romanae gremio cautius sua premendo manere. Immo et hoc praesudicium non leue esse, quod, atheus si fuisset, facile mutata religionis externae professione vitam redemisset. Neque verò rationes Crofaeanae esse omni exceptione maiores contendit vir celeberrimus. Quod enim voluntatem Dei necessitati subiecerit; id de necessitate essentiae intelligendum esse. Naturam autem Bruni non minus quam Stoicorum ad meteorologiam rhetoricam referendam, nec nimis premendam esse. Locum adductum Bruni de conditoribus hominum ex aliorum sententia loqui videri. Infectionem Christianae religionis intelligendam tantum esse, de partibus pontifici Romano addictis, quibus se infensissimum praebebat. Mosem autem inter magos a Bruno relatum, philosophum dicere non impostorem. Incertum porro esse, annon aeternitatem vniuersi tantum intellexerit, sensu durationis, non initii; tandem, adeo obscura, ambigua et lubrica esse, quae de transmigracione animarum Brunus differit, vt inde animus verifitians de certa eius mente securus esse nequeat. Nobis inter tantae doctrinae viros arbitri partes sumere nec licet, nec vacat; dicemus autem, ita poscentibus tractationis nostrae legibus, quid nobis de hoc argumento videatur, vt habeat Lector, quod cum laudatissimorum virorum dissertationibus comparet. Et I. quidem impietatis siue atheismi crimen a profanarum opinionum et paradoxarum doctrinarum colluue distinguendum esse, monemus. Fecit neglecta haec obseruatio, vt multoties in historia atheismi laberentur viri docti, cum Deum non statim tollat, vel in Numen iniurius secundum naturae praecepta peccet, qui audaces manus sacris paginis iniicit, et intolerabili ausu diuinas veritates laceffere sustinet. Idque in hac quaestione eo magis obseruandum est, quo magis ex dicendis constabit, ab opinionibus profanis, ineptisque et Christianum philosophum non decentibus Brunum absolui non posse, licet ab atheismi crimine sit liberandus. His praemissis II. ea quae desideratissimus Crofaeus attulit, de natura vna, monade, ente, substantia, luce, in qua sint omnia velut in esse suo, nondum Spinozismum aliquem, nobis quidem rem accurate diuque pensitantibus, euincere visa sunt. Quamuis enim, vt ex supra dictis liquet, non magnopere repugnandum esse censeamus asserenti, Deum Bruno lucem increatam, infinitam, subsistentem per se esse, in qua omnes atomi velut in oceano natent quasi et existant; multis tamen locis, atomum materialem, quae cum minimo metaphysico Bruni confundenda non est, ab ista luce increata ita distinxit, vt huius effluxum, quae est mundi anima, velut vacuum Democriti et Epicuri atomis opponat, et conglutinandis atomis velut principium aliquod coordinatum adiungat^m; quae

^m) De Exist. Minimi p. 10.
Hist. philos. Tom. V.

quae cum ipse obseruauerit doctissimus Crofaeus, miramur, non animaduertisse virum cetera perspicacissimum, hoc pacto vnam naturam siue substantiam Spinozae prorsus eueriti. Nec his magnopere obstant, quae de vna natura, vno ente, monade monadum etc. toties occidit Nolanus philosophus? haec enim non ad rerum substantias, sed ad earum existentiam, ortum, dependentiam atque emanationem pertinent. Id ex illis thesibus quas supra §. XVI, ex libro *de Minimo* excerptimus, manifestissimum esse putamus, in quibus distinguit inter animam substantialis naturae indiuiduae naturae, et animam telluris in synodo magna; et inter animam synodi totius, quae est in vniuerso; et inter supremam animam animarum Deum, spiritum omnia replentem, totius ordinatorem, supra et extra omnem ordinem. Haec, si sensu Spinozistico vnam naturam Brunii intelligas, consistere nullo modo possunt, recte autem, omnia et accurate cohaerent, si Brunum, quod supra iam monuimus statuamus, emanatio systemati adhaesisse, et ex vno substantiarum fonte per varias emanationum classes et genera rerum omnium ortum afferuisse. Hoc enim locus ille", ad quem prouocauimus, diserte probat, in quo posito Deo summo supra omnem ordinem, variae animarum classes, quae ex eo effluerunt ponuntur: Nec dubitamus, Brunum eodem fere modo vt Orientalis et Aegyptiaca, Cabbalistica et Alexandrina philosophia fecit, Deum sibi velut lucem quandam infinitam et incorpoream depinxisse, ex cuius finu varii radii emanauerint, quibus rerum corporearum siue minimorum materialium animetur congeries. Quae hypothesis fati quidem absurda est, nec insignibus naevis caret, et quod vltro fatemur, in naturam Dei peccat, at Spinozistica haud est, cum inter Deum, medium emanationis siue principium primum, et emanantia accurate distinguat, et participationem quidem diuinae essentiae inferat, non vero ipsam Dei naturam cum creatura confundat. Et hoc quidem sensu, non vero Spinozistico, ea sumenda sunt, quae de causa formali, substantiali, potentia, actu etc. ex Peripateticorum schola ad hoc systema inepte translatis dixit Brunus, quae ad inurendam ei Spinozismi maculam perperam adhibuit P. BAYLE. Verbo, vnum Brunii cum vno Pythagorico et Parmenideo comparandum est, vt intelligatur, quantum ab vno Spinozistico vel etiam Stoico distet; quod illo deterius est. Res enim omnes, quotquot existunt, si Brunum, Pythagoreos, Platonicosque sequentem audias, ex vno fonte, Deo, sunt et acceperunt, quicquid sunt, et lux illa diuina omnem illis realitatem, quam vocant, contulit: ast multis tamen modis ab illa scaturigine sua differunt, licet per gradationes varias ad originem tandem suam queant reduci. Et haec causa quoque est, cur rerum omnium vicissitudines at refluxum ad monadem obscuris quidem et fati confusis notionibus Brunus afferuerit. Cum ergo Deum a mundis innumerabilibus ita Brunus distinxerit, vt hos cum illo mediante tantum architecto mundi, id est,

anima

b) p. 74.

c) De Minimi Exist. c. 5. p. 27.

anima quadam vniuersali coniungat, sicque vniuersum, hoc medio, participante in eo subsistere et esse dicat, patet inde, non tam atheismum, quam enthusiasum Bruno obiici posse, quo res creatas omnes diuinitate quadam repleuit, easque non modificationes Dei Spinozisticas vel partes deitatis Stoicas esse, sed producta emanationis diuinae sensu Pythagoreo et Platonico censuit. Ex his vero III. aeternitas vniuersi, quae a mundorum infinitorum ortu et interitu per varias vicissitudines existente distinguenda est, intelligi eo sensu potest, quo Brunus intelligi voluit. Vniuersum enim non libere extitisse, sed ex necessitate diuinae naturae effluxu suos per omnem aeternitatem, produxisse, non poterat non asserere ^p, cum semel statuisset, quicquid in Deo et ex Deo est, et ab eo fit, fieri necessario, hancque necessitatem voluntatis cum necessitate essentiae ita coincidere, vt plane eadem sit, et maximam Dei libertatem constituat. Quae ἀνάγκη vt ipsum veterum Pythagoreorum, Heracliti et Stoicorum (qui omnes vno ex fonte hauserunt) fatum est, ita aeternas periodos effluxus et refluxus inuoluit. Ast haec ad vniuersi tantum aeternitatem pertinent, et infinitis quoque mundis patrocinantur, singulorum autem mundorum ortum et interitum non tollunt. Posito enim systematis emanatiui principio, sequitur inde, mundos absoluto cursu reductum iri ad nouas emanationes constituendas, emendatumque iri eorum imperfectiones vel potius ex complexu nouo atomorum mediante anima mundi nouos orituros planetas. Ita enim Brunus expulso Peripateticorum coelo immobili philosophatur ^q; *Habemus nos, vbi Dei infiniti potentis, omnipotentisque naturae virtutem possibilitatemque proprio actu non exspoliata contemplemur, admiremurque, - - nouam item tellurem, buae in speciem lunae, Veneris, atque Iouis de opacitate obscuritate elementanorumque corporum sentina consurgat:*

*Convexum coeli implicitis orbisque meantes
Ordinibus, nixum geminum super axe polorum
Vna dies dabit exitio celeberrima mundum
Quam melior species coelo pandetur ab alio.*

Nihil itaque noui hac mundi aeternitate afferit Brunus, nec naturam siue mundum cum Deo confundit, sed ob emanationis naturam participationem tantum aeternitatis ex fonte suo vniuerso emanatio, non vero partibus successiuis tribuit, quae atheismum quidem non inuoluunt, at satis tamen inepta sunt et pantheismo cuidam incrustando frigidam suffundunt. Ex his IV. transmigratio animarum, qualem Brunus tradidit, lucem, nisi fallimur, satis claram mutuatur. Μετεμψύχωση enim Brunum sensu scholae Pythagoreae recepto statuisse, nobis negandum non esse videtur; nam recitata Pythagorae et Platoniorum de animae migratione sententia addit: *Haec illi, qui aeterna omnia quadam reuolutione exagitata intelligunt,*

H 2

praeter

p) Ibid. v. 31. seqq.

q) Ibid. p. 65.

praeter unum, id est Deum. Quibus verbis ipsum systema emanatium fati luculenter depingit, cui calculum eum adiecisse fati haecenus evidenter probauimus; illa enim reuolutio vt ex emanationis necessitate et motu periodico exurgit, ita adeo placuit Bruno, vt singulari capite libri *de Minimo* demonstrare conetur, *omnia quodammodo circuire et circulum imitari.* Quae fati quidem ingenium eius paradoxum, entusiasmo infectum, et phantasticum produnt, nihil tamen ad atheismum euincendum faciunt, cum Deus fons potius sit omnis illius reuolutionis, tantum abest, vt hac *μετεμψυχώσε* Dei naturam tollat. Interdum tamen, vt fati incertus fuit Brunus, *μετενσωμάτωσιν* magis Stoicam, quam *μετεμψύχωσιν* Pythagoream tradere videtur, nempe statuendo redire animas in animam mundi, et ex ea iterum in noua corpora ita dilabi, vt huic numero vel substantiae atomi adglomeratae adhaereant, iisque implicatus animus nouum hominem constituat. Reduci autem in concordiam secum Brunus potest, si eam Pythagoreae *μετεμψυχώσεως* explicationem illi tribuamus, quam suo loco ^r accurate exposuimus. Et hae quidem rationes ex philosophia Bruni desumptae sunt, quibus atheismum eius euincere, perperam, nisi fallimur, viri docti contendunt, systema Spinozisticum cum emanatio confundentes. V. Reliqua ad irrisam a Bruno religionem Christianam pertinent, et huc omnia loca spectare dicuntur, quae ex scriptis Bruni attulit doctissimus Crofaeus. Ast ea obscurum per aequae obscurum probare, et incertum esse, vtrum vel gentilem superstitionem, vel Christianorum quorundam corruptiones, an ipsam religionem Christianam tangant, fatebitur quilibet, qui ea accurate inspexerit. Prout enim quis de Bruni religione opinionem tenet, ita explicari ea vel finistro, vel tolerabili sensu possunt. Patemur tamen ea, quae de recentiorum hominum religione fraudibus plena, et anili superstitioni iuncta attulit, videri maxime verisimiliter in eas partes dicta esse, quas reliquerat, et imprimis mores artesque ecclesiae Romanae, quas pessimas dicebat, et Vatiniano persequabatur odio, persecutionis, vt videtur iniquitate exacerbatus, fugillare. Id nos ipse Scioppius docet, tradens bestiae triumphantis titulo papam eum traducere voluisse. Patiuntur quoque omnia ea loca, quae adduci solent, hunc sensum, vt ordinis clericorum fycophantias, imposturasque exagitasse dicatur. His vero opponit Cel. Crofaeus librum pessilentissimum *Bestiae triumphantis*, in qua omnem religionem, etiam Christianam, acerbissime vulnerasse visus est. Adeo vero rarus libellus iste est, vt ipsi viri docti, qui magno pretio redemptum ^s viderunt, de titulo, loco et anno impressionis valde inter se differant. Non enarrabimus famosae satyrae historiam, quae ad nostros limites non pertinet; dabunt, quantum fati harum lautitiarum cupidis viri doctissimi AVGV-

STVS

r) T. I. p. 1092.

s) 300. florenis redemptus aliquoties est. Vid. Nou. lit. Lipf. 1726. p. 278. Cl. BYNEMANNI

Cat. libror. rariss. p. 13. Tanti nugae miserandae veneunt. Rectius inter Bigotianos libros exiguio pretio venditus est, teste NICERONIO l. c.

STVS BAYERVS *f* et IOANNES VOCTIVS', quibus eruditas de libris rarioribus tractationes debemus, apud quos plures quoque nominantur, qui hunc libellum descripserunt. Nos id hoc loco monemus, nondum extra controuersiae aleam positum esse, quod ab ipso Bruno liber, teste P. BAYLE, ineptus et confusus, scriptus sit. Habet is hunc titulum: *Spaccio de la bestia trionfante, proposto da Giore, effettuato dal consiglio, reuelato da Mercurio, recitato da Sophia, udito da Saulino, registrato dal Nolano. Divise in tre dialogi, subdiuise in tre parti. Consecrato al molto illustre et eccellente caualliere, Sig. Philippo Sidneo. Stampato in Parigi clo 1699.* Esse hunc impressionis locum annumque fictitium, non alia demonstratione opus est, quam, quae ex rationibus chronologicis historiae Brunus defumitur: hoc enim, quem prae se liber fert anno, nondum ad Gallos dilapsus erat Brunus, quae sine dubio causa est, cur viris doctis visum sit, non apud Gallos sed Britannos libellum equiti Anglo dicatum prodierit. Ast non minoribus difficultatibus laborare iter Anglicum Brunus, si ante annum clo 1699, contigisse dicatur, supra exposuimus: quae causa esse videtur, cur P. BAYLE libellum anno clo 1699 dicat prodierit, nisi calami vel typorum vitio erratum sit. Nec si dicas, Italicam editionem Parisiorum nomen mentiri, verisimile est, tam libera satyra in omnem religionem, maxime vero in ecclesiam Romanam debacchari ausum fuisse hominem adhuc in Italia versantem. Ipse quoque Brunus in nullo, quod eius genuinum esse nouimus, scripto ad illum libellum prouocat, qui tamen frequenter et edita et affecta in partes vocare solet. Viderint itaque, qui curiosius arcana literaria scrutantur, an non libellus ipse ab homine aliquo nequam Bruno suppositus sit, cum percrebuisse bestiae triumphantis titulo, (id quod ex Scioppii relatione nouimus) acerbissimam in pontificem Romanum et coetus eius sequaces satyram euulgasse, ut hoc titulo auidius cariusque emeretur liber, quo simili artificio Tolandus in vulganda libelli huius versione Anglica usum fuisse narrat venerabilis MOSHEMVS". De ipso vero libro, quem non legimus, pronuntiare nihil audemus; fatemur autem, suspectas nobis esse narrationes scriptorum, qui eius mentionem faciunt. Quamuis enim in eo omnes consentiant, superstitionem philosophiae contrariam, et religionis auctoritate abutentem valde exagitasse auctorem, alii tamen ad solam tractationem moralem eum referunt, alii satyram in pontificem exhibere pronuntiant, alii religionem omnem exhiberi, et Christianam quoque imposturae argui perhibent. Quae satis euincunt, aut non accurate inspexisse eos libellum, aut ita obscurum esse, ut vera auctoris mens coniecturis tantum queat definiri; nihil autem certi de vera eius sententia constare. Quod si libellus Brunus verum parentem agnoscat, suspicamur, hominem implacabili odio diris persecutionibus cleri Romani aduersus istos coetus accen-

H 3 sum,

queque censet auctor dissertationis, qua Cl. Monetae de tribus impostoribus respondetur p. 4. l.

f) Memor. libr. rar. c. 71. p. 219.

g) Cat. libr. rar. p. 141.

h) In Vita Tolandi §. 32. p. 173. Suppositum

sum, acerba fatyra eum depexum dare voluisse, ideoque magno conatu et liberrimo calamo in superstitionem Christianorum fuisse inuectum. Solitum enim fuisse id facere, vna oratio valedictoria apud Wittebergenses habita luculenter demonstrat. Cum autem systema sibi physicum et metaphysicum construxisset, quod a placitis Christianae doctrinae haud parum deuiat, et nonnulla dogmata inter fabulas refert, quae in ciuitate sacra inter summas leges referuntur, quale est de praemiis atque poenis post hanc vitam, omnino verisimile est, hominem audacem animique impotentis talia quoque inter superstitiones monachales retulisse, et sic in ipsam quoque religionem peccauisse. Certe paradoxa, et a placitis Christianis multis nominibus discedentia somnia Brunum fouisse, quale est praeadamitarum fabula, negare non audemus, et ipsum eius systema philosophicum attentis suadet. Quae ab improbitate Brunum liberari non posse satis quidem certo sunt testimonio, at atheismum tamen non euincunt, forte mitiorem quoque et benigniorem interpretationem admittunt, de quo illi statuent, quibus ipsius libelli legendi copia occurrit: multo minus ad excusandam Romanae inquisitionis saeuitiam sufficiunt. Et haec quidem de Iordano Bruno Nolano.

CAPVT TERTIVM,
DE HIERONYMO CARDANO.

§. I.

*Historiae H.
Cardani scri-
ptores.*

Eodem inter reformatores philosophiae caractere, quo Brunus, innotuit HIERONYMVS CARDANVS, in philosophiae pariter atque artis medicae historia celeberrimus, qui, dubium est, vtrum virtutibus illustrior fuerit, quam vitiis. Amplissimum is ipse de vita sua commentarium scripsit, quem, vt erat Proteo mutabilior, aliquoties refinxit. Teste enim Cl. REIMMANNO ^a sciagraphia libelli *de Libris propriis* adiecta est eius libris *de Consolatione*, editamque esse anno clō 15xxvii, alibi idem vir doctus innuit ^b. Quo auctore quoque nouimus Basileae anno clō 15xlii, vna cum aliis quibusdam eius lucubrationibus prodiisse. Et NAVDAEVS ^c Norimbergensem editionem anni clō 15xlii, atque Venetam anni clō 15lvii nominat. Vltimam tamen manum imposuit huic narrationi Cardanus, post editionem anni clō 15lxii, quo libellum istum cum libris *IV Somniorum Synesiorum* aliisque apud Basileenses vulgavit anno clō 15lxxv, vt ipse refert ^d. Qui liber cum rarius compareret, laudanda est illustris doctrinae viri, GABRIELIS NAVDAEI

a) Hist. Atheismi sect. III. c. 4. §. II. p. 366.
b) In Cat. Bibl. Reimmann, P. II. p. 407.

c) In Iud. de Cardano.
d) c. 4. p. 9.